

LUCERNÆ
VETERUM
SEPULCHRALES
ICONICÆ,

Ex Cavernis Romæ subterraneis
collectæ,

& à

PETRO SANTI BARTOLI,

Cum Observationibus

J. PETRI BELLORII,

ante decennium editæ :

NUNC

ob Argumenti nobilitatem,

& latius diffundendi ejus usûs gratiâ,

ad Exemplar Romanum,

Versis ex Italico in Latinum Observationibus,
recusæ.

Studio & Impensis

L. BEGERI,

AUGUSTISSIMI

REGIS PRUSSIÆ & ELECTORIS BRANDENBURGICI


Confiliarii ab Antiquitatibus & Bibliotheca.



COLONIÆ MARCHICÆ,

Typis ULRICI LIEBPERTI, TYPOGR. REGII.

Anno M DCCII.



REGIÆ CELSITUDINI,
 SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
 DOMINO
PHILIPPO WILHELMO
 MARCHIONI BRANDENBURGICO,
 AUGUSTISSIMI
REGIS PRUSSIAE ET ELECTORIS
BRANDENBURGICI
 FRATRI NATU MAXIMO,
 REIQUE TORMENTARIAE
 PRÆFECTO GENERALI & SUMMO,
Domino suo Clementissimo,

L. BEGER.



Antea, PRINCEPS SERENISSI-
ME, & Regii Tui Generis, & Heroica-
rum Virtutum Meritorumque Tuorum
dignitas est, ut Populi, non circumjacentes tantum,

*Sceptroque Regio & Electorali Brandenburgico
subditi; sed & remotissimi, & sub utroque Sole
jacentes, quoscunque tubis aureis Paterna Frater-
naque gloria personat, post MAGNUM ILLUM
Regni Venedorum antiquissimi RESTAURA-
TOREM, surgentemque in spes Patrias HÆRE-
DEM REGIUM, etiam TE venerentur, Heroëm
ex tot Heroibus, quos Domus Brandenburgica tulit,
florentissimum: Priscorum imaginem, Recentium
æmulum. Te sanè tanti fecit JUPITER PRUSSI-
CUS, ut & Majestatis suæ radios Tibi communi-
caverit, & dextræ suæ vires commiserit, suaque
fulmina, Tuo ardore fabricata, vel sumat, vel Tibi
emittenda relinquat; indicatiō charitatis eò justiore,
quòd in TE Tuaque Propagine, utpote ex eò-
dem secum Divinitatis stemmate prognato, alte-
ram Solii sui Columnam recognoscit. Hæc cùm
ita sint, PRINCEPS GLORIOSISSIME,
non aliter in terris mihi videris genus humanum
demereri, ac Sol in Cælo, sub Jove Deorum summo.
Sol ignes pacificos & jucundos emittit, quoties
qualitates aëris amicâ lenitatevolvuntur; Quo-
ties autem viribus divinis, radiorumque & caloris
liber-*

libertati resistunt, toties refragarias iratis fulminibus disjicit, viamque sibi ruinâ patefacit. Idem & Tu, SERENISSIME MARCHIO; Licet TIBI materies & potestas Regiorum Fulminum commissa sit, ignibus tamen festivis Orbem exhibeas, quoties jucundior aspectus felicitatem publicam commovet. Sive JOVIS nostri, JUNONISve Natales recurrant, sive Regiæ Coronationis & Adventûs memoria colenda sit, variis, TE dispensatore, sub figuris effulget ignifera Tuæ potentiae vis, & tam grato simul jubare Populos delectat, ut hactenus ad iram Te commoveri posse non credidissem, nisi horror bellicus, qui nunc Europæ minatur, Tibi dextram armaret, Vulcanumque & Cyclopas, Tuo sub imperio, fulminibus JOVI fabricandis excitasset.

Equidem fateor, SERENISSIME PRINCEPS, cum horum ego Tuis auspiciis fragores audirem, dubius aliquantisper hæsi, an Opusculum Hoc Tuis Oculis & Manibus offerre mihi liceret? Quid enim Lucernæ extinctæ, & ex sepulcris antiquissimis extractæ, ad Principem Celsitudinis Regiæ? Juventutis Heroicæ? Fortitudinis

nis


*nis divina? Quid? Annon metuerem, si Promethei instar ad Tuum Solium adreperem, hisque meis Lucernis ignem inde accendere conarer, ne eâdem etiam cum Prometheo mercede mactarer? Vulcanoque traderer, alligandus Caucaaso? lace-
randus Vulture?*

*Sed evanuit metus, postquam considerare cæpi, TE non nisi hostibus irasci: Fulminibus non nisi malos & fraudulentos impetere: Sinceros contrâ, & qui Deorum suorum gloriam celebrant, gratiosô jubare dignari. Non vanô auguriô ita judicabam. Clementissima frontis Tuæ serenitas, quâ meos labores suscipere soles: Gratio-
sissimum alloquium, quô me, Musis Regio-Electo-
ralibus vacantem, aliquoties honorasti: Ditissi-
mus insuper antiquissimorum Numismatum, va-
riarumque Raritatum Thesaurus, quem Tuo in
Palatio, gravissimis Tuis curis levamen adornasti,
& generosâ munificentia subinde adauges, sponso-
res mihi sunt, non ingratos TIBI fore, quos heic
debita cum animi submissione TIBI fero, Nobilio-
ris Antiquitatis Fasciculos; Neque enim vel illud
reprehendes, quòd Funerum Reliquias proferam.*

*Tales hæ sunt, quales & gloriosissimorum Tuorum
Progenitorum Virtutes, quæ temporum injurias
evasere, gloriamque Heroum, non priscorum tan-
tùm demonstrant, sed & recentium animant. Eva-
sere temporum injurias Hæ Lucernæ, & si Tuo fa-
vore rursus accendantur, splendebunt æternùm,
qualiter Virtutes Majorum Tuorum in TE, qualiter
& Sidera Cæli; Nam quocunque deferentur, non
claritatem suam loquentur; sed quòd Tuò beneficiò
Cælum Literarium rursus conscenderint; quòdque
conscenderint ornatiores, dignòque nunc Musis ju-
bare contemplantium oculos animosque possint &
afficere & delectare, id TIBI UNI acceptum
ferent, gloriamque TUAM mecum jactabunt,*

*In freta dum fluvii current! dum Montibus
umbræ*

*Spargentur! radiofa Polus dum Sidera pa-
scet!*





LECTORI BENEVOLO
L. BEGER,



UT Lucernas has, jam ante decennium, & quod excedit, Romæ vulgaritas, recudere, versisque ex Italico in Latinum *BELLORII Observationibus*, Orbi Literato denuò proponere instituerim, duplex me ratio movit: *Utilitas Publica*, & *Gloria Cæmelarchii Regio - Electoralis Brandenburgici*. Eas Romæ vulgaritas fuisse, jamdudum audieram; sed tam felici non licuit esse, ut ante impressum *Thesauri Regio - Elector. Brandenburgici Volumen Tertium* iis potirer, licet exemplar pluribus literis expeterem, pluribus pollicitationibus venarer. Tandem Parisiis, operâ Nepotis mei, nunc & in officio Adjuncti, de-

stinatique , quandocunque Deus voluerit,
Successoris, *Dn. Joh. Caroli Schotti*, qui ante-
hac *Illustrissimo* EZECHIELI SPANHEMIO ab
Epistolis erat, repertum, magno, si Libri mo-
dulum respicias, pretio redemi, magnis Bero-
linum impensis mihi transmissum, non tamen
sine lætitia accepi; Licet enim, cùm aperirem,
primoque intuitu lustrarem, moræ non parum
poenituerit, non tamen poenituit vel pretii vel
impensarum; Nam has immane quantum su-
perari ditissimo, qui affulgebat, Eruditissimæ
Antiquitatis thesauro, ingenuè non minus ac
meritò judicabam; subiitque primâ statim
fronte cupido, Opus nobilissimum, quod ha-
ctenus intra Italiæ limites coarctatum latuerat,
etiam in alias Regionem emittendi, ne Thesau-
rus, quem ego invenissem, apud me contabe-
sceret, sed liberò motu quibuscunque politio-
ris doctrinæ Affeclis, non *Italis* tantum, sed &
Germanis, Gallis, Anglis, & Belgis, totique
adeò *Europæ*, imò fortassis & *Orbi Terrarum*,
quocunque Latini sermonis usus invaluit, de-
inceps servire posset. Hæc dum cogito, suc-
cescit & altera ratio, quæ deliberantem non
tantum confirmavit, sed & ad rem maturè &
aggre-

aggrediendam & perficiendam impulit. Lu-
cernas, quas AUGUSTISSIMUS REX
PRUSSIÆ cum Musæo Belloriano Romæ
coëmptas, & Berolinum advectas, Gazæ suæ
addiderat, huic Operi insperfas deprehendi,
tantum non omnes. Quid heic mihi agen-
dum, Gazæ illius Regiæ Custodi? Nonne ite-
randa Editio, significandumque, venustissima
hæc Cimelia non amplius Romæ latitare? non
amplius Musæo privati alicujus obscurari? sed
in Urbe Germaniæ facilè Principe, dignò no-
bilitate suâ Palatio excepta, Regii Diadematis
jubare irridiari? ibique deinceps non volubili
Fortunæ inconstantia sedem mutatura, sed
firmò & æternò quasi Sacrariò quietura?
Equidem fateor, harum aliquas jam à me in
Thesauri Regio-Elect. Brandenburgici Volumine
Tertio vulgatas esse; Sed notandum, vulgatas
esse *quasdam tantum*, in proposito autem Ope-
re prodire *tantum non omnes*; adeò ut mini-
mum in iis ratio valeat, quas voluminis illius
angustia exclusit; quanquam & Reliquæ rem
fufcipiendam suaserint, id quod omnino hîc
addendum. Jamdudum dolueram, mihi co-
piam hujus Libri non fuisse, antequam labores

mei in publicum exirent ; Ita enim perpenſis diligentius, quas BELLORIUS aſperſerat, opinionibus, vel iis accedere, vel eas evertere potuiſſem, prout rationum pondera iudicium determinaffent ; Sed nunc, cùm eòſque iis caruerim, diverſam à BELLORIO viam ferè neceſſariò ingreſſus eram, eventuque id factum videbatur tantò iniquiore, quòd opiniones meas, Libro jam in publicum emiſſò, commodè nec retractare licuit, nec additis ultra fulcris dilucidare. Quid facerem ? An me obſcuritate tuerer ? inde ſolamen quæſiturus, quòd Liber in Italia tantùm notus eſſet, reliquas autem in Orbis partes vix aliqua ejus exemplaria penetraffent ? Hæc conſideratio alium fortasſis ab iteranda editione deterruiſſet ; nam ea hominum quorundam conſuetudo eſt, ut famæ ſuæ etiam cum detrimento utilitatis publicæ conſulere fatagant. Sed hoc ſi quis etiam de me præſumat, valdè erraverit. Raritas potius hujus Libri, ut primos mihi continuo ſtimulos ſubjecit, ita eosdem, animadverſa opinionum diverſitate, adhuc magis vel ideò adegit, quod Lectori meo judicandi libertatem adimendam non cenſerem : imò etiam, quod inde appariturum

turum confiderem , me diverſam ſententiam
non abs ratione tuliffe , indeque nec magno-
pere taxandum eſſe ; Licet , quod ſponte fateri
non erubeſco , ſi Libri illius copiam maturè
habuiſſem , in plurimis BELLORIO ſubſcriptu-
rus fuiſſem , idque ideò potiffimùm , quòd loca ,
in quibus pleræque Lucernæ inventæ ſunt ,
Sepulcra videlicet , non fragile ei fundamen-
tum ſubſternant ; Nam hæc ego nec ſciebam ,
nec ſcire poteram , tantis terrarum intervallis
diſſitus , & Lucernas non tantùm uſui Sepul-
chrali , ſed & Domestico & Sacro ſerviſſe
ſciens : quò intuitu forſan nec meis opinion-
ibus calculus deerit ; Ea enim Eruditæ Antiqui-
tatis ratio eſt , ut pluribus interdum opinion-
ibus frui liceat. Minimum id mihi laudi cedit ,
quòd procul habitis & metûs & invidiæ ſtimu-
lis , non meos tantùm labores Orbi Erudito
probare , ſed & alienos provehere , vel meæ
cum famæ detrimento contendam.

Vale & judica!



**LUCERNARUM
ANTIQUARUM SEPULCHRALIUM
ET**

**ICONICARUM
*PARS PRIMA.***

Continens

Varios Ritus, & Ludos Funebres, Opiniones-
que Antiquorum de Defunctis.

CATALOGUS SCULPTURARUM


PARTIS I.


1. *Prometheus* Ἀνθρωποπλάστης.
2. *Furtum Promethei.*
3. *Promethei supplicium.*
4. *Nereis.*
5. *Triton.*
6. *Amor maritimus.*
7. *Amor & Psyche.*
8. *Somnus.*
9. *Andromeda.*
10. *Miles in bello mortuus.*
11. *Urna funebris.*
12. *Vectura Charontis.*
13. *Inferiæ.*
14. *Inferiæ.*
15. *Aliæ Inferiæ.*
16. *Inferiæ.*
17. *Sacrificium Diis Inferis factum.*
18. *Gryphus.*
19. *Sacrificium funebre.*
20. *Gladiatores Samnites.*
21. *Gladiatores Samnites.*
22. *Præfectus Gladiatorum, Virgator, Sabinus Popilius.*
23. *Pugiles.*
24. *Desultor cum duobus Equis.*
25. *Cursus Bigarum.*
26. *Quadrigarius Victor.*
27. *Circus.*

28. *Equus Alatus.*
29. *Bigæ cum Victoria.*
30. *Auriga Victoriosus.*
31. *Bestiarii.*
32. *Venatio Leonis.*
33. *Certamen Urfi & Tauri.*
34. *Saltator.*
35. *Delineatio Musaici.*
36. *Saltatores.*
37. *Saltatores.*





























































SABINVS
POPILLIVS




























I. CAMSA










*Pavimento di Musaico di diversi colori in campo bianco, ne Sepolcri della
Villa Corsini al n.º 24 della pianta*





1

OBSERVATIONUM,
IN
LUCERNAS VETERUM
SEPULCHRALES ICONICAS,
PARS PRIMA

Continens

*Varios Ritus, Ludos funebres, opinionesque
de defunctis.*

1 **P**ROMETHEUS ANΘΡΩΠΟΠΛΑΣΤΗΣ.) Nota est fabula. Prometheus hominem ex luto formasse, faceque furtim ad radios solares accensam fertur animasse. Id factum esse auxilio Minervæ, non proposita tantum Lucerna evincit; sed & docet Lucianus, eo in Dialogo, quem PROMETHEUS ES IN VERBIS inscripsit: *Quemadmodum & ille, inquit Author, nondum existentibus hominibus, excogitatos, atque denuò inventos tum finxit, talibus animalibus effigiatis & exornatis, quæ & moverentur facile, & adpectu gratiosa forent: Et in summa Architectus ipse erat, sed cooperabatur tamen etiam MINERVA illi, quæ & LUTUM INSPIRABAT, & FIGMENTA illa ANIMATA REDDEBAT.* Idem scribit & Servius in illud Virgilii:

Caucaseasque refert Volucres furtumque Promethei.

Prometheus, inquit, Japeti & Clymenes filius, post factos à se homines dicitur auxilio MINERVÆ Cælum ascendisse, & adhibitam faculam ad rotam Solis, ignem furatus hominibus indicasse. Protagoras apud Platonem fabulam paulò aliter enarrat, aitque: Prometheum cum aliter homini, inermi & à nativitate nudo, prospicere non posset, ratione & arte eum donasse, simul cum igne, Minervæ & Vulcano ablatis: Cumque aliter, inquit, salutis humanæ viam consultans Prometheus non invenisset, surripuit Vulcano MINERVÆque artificiosam pariter cum igne sapientiam. Inde homo nobilitatus tantò thesauro, supra reliqua animalia se extulit, Deorumque confors factus est, eorumque ad cognitionem acie mentis ascendit, altaribus eos & sacrificiis adorans; Ita enim pergit Protagoras: *Quoniam verò solus ex omnibus animantibus homo divinæ sortis particeps effectus est, principio solus ob hanc cognitionem Deos esse putavit, arasque illis, & statuas dicavit.* Igitur in nostra Lucerna sepulchrali Prometheus hominem ex luto format, eique assistit Minerva, dispensatrix sapientiæ & artium, in-

A

spirat-

spiratque ei *animam immortalem*, unicum donum hominis, cuius virtute etiam post mortem vivit. Id sanè intendit, qui Lucernam propositam effinxit, & sepulcro suo intulit, remoturus videlicet mortis angores contemplatione vitæ immortalis, quòd Iustorum animæ ad ætherem purissimum, cuius symbolum *Minerva* est, & quem ipsa humano luto inspirasset, post mortem rursus ascendant.

His & aliis indiciis Veteres adumbrabant perpetuitatem & durationem animæ nostræ, utpote non subjectæ vel minimæ corporis corruptioni, uti & ex aliis paulò post clarius apparebit. Nos occasione ejus, quod hætenus diximus, recordamur & Sarcophagi Villæ Pamphiliæ, in quò Hominis & vita & mors efficta cernitur, secundum ea, quæ diximus, in *Admirandis Romanarum Antiquitatum Vestigiis*. Eò in Sarcophagò cernuntur Elementa, & Prometheus manibus tenens hinc humanum ex elementaribus particulis factum simulacrum, inde stylum operis instrumentum. Simulacri capiti, ut proprio animæ sedi, Papilionem impenit Minerva, eoque factò id animat, immortalem ei vitam communicans, cuius symbolum Papilio est, mentisque hominem, & divinæ simul naturæ participem faciens. Pulcherrima hæc ex terra cocta Lucerna, quam in ordine primam proponimus, inventa est in territorio Perugiano, ejusque copiam nobis fecit Humanissimus Dominus Evangelista Blasius, urbis Cancellarius, apud quem & asservatur.

- 2 FURTUM PROMETHEI.) Ad seriem Fabulæ, secunda hac in Lucerna adumbratur Promethei furtum, radios solares auferentis & Terræ communicantis. Alterâ manu flammam cœlestem portat, alteram versus cœlum attollit, originem & animæ humanæ, & naturæ immortalis, non minus ac stellarum. In rei testimonium adducimus versus Claudiani, qui Protagoram secutus in fabula Promethei, eum inducit miscentem lutum cum particula cœlesti, hominique dantem consilium & rationem providendi, imò & avertendi casus vitæ humanæ futuros & dubios:

Quoscunque Prometheus

Excoluit, multumque injecit æthera limo:

Hi longe ventura notant, dubisque parati

Casibus occurrunt, fabro meliore politi.

Quidam certè Philosophi crediderunt, animam humanam scintillam Lucis divinæ esse, accensam in nobis nascentibus, & redeuntem ad originem suam morientibus, si homo justè vixisset, legesque ejus sanctè observasset: Aliter æternum tormenta Tartari sensuram, suorumque peccatorum meritas soluturam poenas. Lucernam hanc inter nostras conservamus. Coloris rubri est, & igne politi, ad sensum figuræ, quam adumbrat. *Hodie inter Reg. Elect. Brandenb. conspicitur.*

3

PROMETHEI SUPPLICIUM.) Prometheus hîc cernimus, monti Caucaſo alligatum, Aquilamque ejus pectus lacerantem. Cauſam rei jocoſam finxerunt antiqui: Prometheus videlicet Jovem decepiſſe, duos ei tauros immolando, carnesque ſub una pelle, ſub altera autem oſſa abſcondendo, datò Jovi electionis arbitrio: Eò factò Jovem minus conſideratè loco carniū oſſa elegiſſe, indeque iratum hominibus ignem abſtuliffe: Prometheus autem ignem reſtituiſſe, eaque de cauſa Caucaſo alligatum, Aquilæque rapacitati tamdiu expoſitum fuiſſe, donec ab Hercule liberaretur. Fabulam referunt Heſiodus, Æſchylus, Lucianus & alii. Ejus meminit & Martialis his verbis:

*Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Affiduam nimio pectore pavit avem.*

Lucerna ex Sepulcris Viæ Lavicanæ extracta eſt, hodieque aſſervatur apud Dominum Franciſcum Ciccium.

4 NEREIS:) In præcedente imagine Promethei ignem rerum principium contemplati ſumus, quòd, ut Heraclito viſum eſt, *Calor omnia animaffet*, adeòque & *vivificaffet*. In hac Lucerna, in qua NEREIS cernitur Equum marinum amplexa, contemplamur principium rerum in Aqua, idque ſecundum Thaletem, qui ex Aqua Homines, animalia, aliosque Naturæ partus prodiſſe docuit: Imò Deos ipſos, ſecundum Orphei Hymnum in Oceanum:

*Oceanum voco Patrem incorruptum, ſemper exiſtentem,
Immortaliumque Deorum Parentem, mortaliumque hominum.*

Hinc præter Nereidem noſtram, ſæpè etiam in marmoribus & ſarcophagis variò habitu cernimus Deos marinos, Nereides, Nymphas, Tritones, Currum Veneris Aphrodites, quæ inde ex ſpuma & mari fingitur nata. Credebant ſcilicet, & hòc principiò omnia renovatum iri, ideoque vitam & mortem in humore ponebant, quod nulla res abſque hoc vel generaretur, vel corrumperetur. Picturam hujus Lucernæ, elegantem ſanè & eruditam, acceptam referimus Domino Marco Antonio Sabatini, qui non minus geniò, quàm fortunâ nobilis, plura rarioris Antiquitatis monumenta, non poſſidet tantum, ſed & intelligit: ut nihil de humanitate addam, cùm conceſſa nobis Lucernæ propoſitæ pictura eam abundè loquatur. Inventa eſt ſub monte Eſquilino, in Vinca Montalta.

5 TRITON:) Eàdem mente in altera hac lucerna Triton Deus marinus, effictus eſt. Is algâ coronatus, in medio trium Cupidinum dextra Concham præfert, eamque inflat, utpote *buccinator Neptuni*: alterâ temonem tenet, gubernandis navibus, quòd Numen hoc nautis propitium crederetur. Ovidius optimè deſcribit officium conchæ,

4 ubi cessante Diluviô, ad mandatum Neptuni, fluctus ex mari, & fluvios ex terra, revocatos memorat:

*Ceruleum TRITONA vocat, CONCHAque sonanti
Inspirare jubet, fluctusque & flumina signô
Jam revocare datô. Cava Buccina sumitur illi,
Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo:
Buccina, quæ in medio concepit ubi aëra Ponto
Littora voce replet, sub utroque jacentia Phæbo.*

Lucerna asservatur inter antiquas delicias Domini Petri Santi Bartoli, primi hujus operis authoris.

6 AMOR MARITIMUS:) Sequitur pulcherrimus pufio alatus, qui leniter saltans, alterâ manu Concham, alterâ Buccinam turbina- tam tenet. Similes Conchas sæpius in antiquitatum reliquiis cer- nimus. Ratio ex superioribus elucet. Intra illas interdum adumbra- tæ sunt effigies defunctorum, quòd vertentibus annis ex eo Elemento, Aqua videlicet, sperarent resurrectionem. Et hinc credibile est, An- tiquos propositâ Lucernâ sepulcrali indicare voluisse, *Amorem vite & primi principii, Animis etiam durare, postquam à corpore solutæ es- sent.* Asservatur apud eundem Santi Bartoli, inventa inter sepul- cra Viæ Flaminiae, Aquâ in transversum superatâ.

7 AMOR ET PSYCHE:) Immortalitas animæ intelligebatur sub figura *Psyches*, in morem Papilionis *alatae*, qui nunquam morien- do, semper in vitam transmutatur. Hæc sponsum suum Amorem aut Cupidinem amplectitur, invicem ab eo arctis brachiorum am- plexibus inserta. Hòc symbolò animam affectibus conjunctam adumbrabant, quòd his, in hac vita mortali, alligata sit. Hæc mente *Psyche* & Amorem sæpius cum aliis mysteriis in sarcophagis sculptos cernimus, ut & in hac ipsa Lucerna, ad designandum amorem æternum eorum, qui se invicem in vita amârunt; Sperabant enim simul etiam in campis Elysiis victuros, aut fanè post longissi- mi temporis decursum resurrecturos, sine violatione vinculi, quò primò in vita uniti fuissent: licet è contrario, ad indicandam mor- tem fax inversa versus terram descendat. Inventa est Lucerna extra Portam Portuensem, & asservatur apud eundem Petrum Santi Bar- toli.

8 SOMNUS:) Somnus hac in Lucerna adumbratur, Mortis fra- ter, quos Erebo & Nocte procreatos memorant. Hic se convolvit & abscondit sub umbroso suo nigroque Pallio, tribus parvis amori- bus aut Cupidinibus circumdatus, qui positis arcu & sagittis & ipsi profundo sopore oppressi jacent. Pausanias in Eliacis refert, in Monumento Cipseli Tyranni simulacrum Noctis cœlatum fuisse, cum

cum duobus infantibus, uno coloris nigri, altero albi, adscriptis nominibus *Mortis & Somni*. Duo hi creduntur fratres, quod animam à sensibus abstrahant, eosdemque in nobis effectus producant; Nam somnus placida mors est, scribente Seneca, Tragico in Hercule Furente:

Placidum lethi genus humanum

Cogis lentam discere mortem.

Hoc sensu in quibusdam Monumentis Antiquorum legitur: SOMNO ÆTERNALI. QUIETI ÆTERNÆ. Ut & in Inscriptione sepulcrali: IN AGRO SOMNI. Pellis Leonina, cui somnus cum tribus infantibus incumbit, Nocti minus bene videtur convenire, quòd Leo animal solare sit & vigilans, parèque dormiat. Quicquid sit, tamen & ipse, licet ut plurimum insomnis, à necessitate somni vincitur, secundum ea, quæ Poëta Italus de Nocte & de omni animali cecinit:

Hora ch'ogni animal riposa, e dorme

Nunc cum omne animal quiescit & dormit.

Lucerna inventa est in Monte Celio, & servatur apud Dominum Petrum Santi Bartoli.

9 ANDROMEDA:) Aliud succedit animæ humanæ symbolum, in figura Andromedæ à rupe solutæ, & à Ceto aut monstro marino liberatæ. Ab una parte stat Perseus filius Jovis & Danaës, puellæ liberator: ab altera ejusdem Pater Cepheus, & Cassiopea mater filiæ libertatem lætitiâ & plausibus excipiunt. Ipsa rupi infidet, Perseo defensori suo obversa, pedibusque ejus adjacet Cetus jam devictus, & in saxum mutatus. Non aliud in hac sepulcrali lucerna videtur denotare Andromeda, quàm Animam humanam, solutam affectibus & curis, quibus in mortali hac vita vorabatur: certissima vitiorum pastura, quotiescunque virtus ejus, aut recta ratio, quæ sub Perseo intelligitur, ei non succurrit, vinctam liberando, & ad cœlum extollendo, ubi Antromedam inter stellas locum habere, Antiqui finxerunt. Lucerna hæc inventa est extra Portam Celimontanam propè Aquæ ductus. Pervenit ad Commendatorem Dominum Carolum Antonium dal Pozzo, qui celeberrimi & Musei & Bibliothecæ possessor, haud ita pridem, non exiguo studiorum nostrorum cum detrimento mortuus est. Is quâ humanitate in omnibus fuit, propositam Lucernæ Picturam, cum aliis quibusdam sequentibus, publicis usibus exhibendam gratiose nobis concessit.

10 MILES IN BELLO MORTUUS:) Duo milites cadaver tertii, Contubernalis scilicet sui, ad sepulturam exportant. Tanta & tam religiosa apud antiquos, etiam in bellis erat sepulturæ cura,

ut & ipsi invicem inimici aliquot dies ab armis cessarent, eò tantum fine, ut suos in acie cæsos recipere, & sepeliri possent. Modò duplici hunc ritum peragebant Romani, vel accumulando corpora in unum tumulum, uti Germanicus ossa ex clade Variana reliqua: vel in urnam reponendo cineres, ex combusto corpore residuos: Quam defuncti partem, ignis violentia intactam, servabant, statisque temporibus Libationibus & sacrificiis colebant, id quod solenni locutionis formulâ *justa persolvere* appellabatur. Quod modum portandi attinet, quo cadaver pedibus & capite apprehendebatur, ut in proposito, id arguit, *quasi raptim efferrî*, & sine pompa; exemplumque simile occurrit in Marmore Barberino, quo juvenis quidam Venator brachiis suorum ad sepulturam effertur, sequentibus ex ordine Cane & Equo cum retibus, servisque plangentibus, & aliis figuris, quæ funeribus adesse solent. Rem delineatam videas in libro eo, qui ROMANARUM ANTIQUITATUM VESTIGIA inscribitur. Senex Palliatus in proposito, qui funus comitatur, credi poterit unus Libitinariorum, & fortassis is ipse, qui *Designator funeris* appellabatur. Lucerna hæc in Hollandiam deportata est à DOMINO DE WITH, ut omnis Eruditionis, ita & nobilioris Antiquitatis summo & cultore & æstumatore.

- II URNA FUNEBRIS:) Cadavere combusto Ossa & Cineres in urna componebantur, qualem hîc cernimus inter duas Cupressos. Hæc arbor, funestum videlicet signum, etiam mortui januis apponebatur, quasi Diti consecrata, nam semel recisa nunquam renascitur, Unde Claudianus:

Tumulos tectura Cupressus.

Et Lucanus:

Et non plebejos luctus testata Cupressus.

Ex quibus colligas, Ejus usum tantum in funeribus nobilium fuisse. In medio Urnæ cernitur locus Tituli sepulchralis Diis Manibus & in memoriam defuncti inscribi soliti. Lucerna reperitur apud Dominum Petrum Santi Bartoli.

- 12 VECTURA CHARONTIS:) Cadavere sepulto animam à Mercurio finxerunt in infernum deduci, ubi ad flumen Acheronta defunctos, id quod in Lucerna cernimus, Charonti, infernali nautæ, nauli nomine obolum credebant exsolvere. Quæ fabula primo ab Homero ortum traxit, Ulyssis transitum in infernum fingente, sequutusque eam est & Virgilius in Ænea, Patrem in campis Elysiis quæsituro. Ita de Charonte loquitur:

Et ferrugineâ subvectat corpora Cymbâ.

Ridicula est contentio Menippi & Charontis, de solvendo obulo, apud
Lucia-

Lucianum, Menippo, utpote Philosopho Cynico & Satyrico, cau-
santi se non habere nummos, denegat vecturam Charon, imò & mi-
natur, nisi recedat, ejus caput se baculo rupturum. Tandem ad
Mercurium respiciens, hunc, quòd ad flumen illum adduxisset, aut
navulum solvere, aut hominem ad loca priora reducere jubet. Erat
autem Mercurius Deus infernus, & animarum in infernum ductor.
Delineatio hujus Lucernæ cum altera primæ, quam supra dedimus,
à Domino Evangelista Blasio nobis transmissa est, in territorio Pe-
rusino inventa.

- 13 INFERIÆ:) In hac Lucerna præter Urnam inter Cupressos
jam supra productam, agnoscimus sacrificia funesta, Mortuis inferri
solita, unde solenni vocabulò *Inferiæ* dicebantur. Fundebatur in iis
Vinum, Aqua, Lac & Sanguis; Unde Æneas ad Tumulum An-
chisæ:

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho

Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Duo juvenes pulchrè indusiati & fuccincti, *Pocillatores* videntur,
ad mensas servire soliti. Hi dextrâ Vinum ex cornubus, sacris flam-
mis infundunt, sinistrâ situlam tenent, quâ, ad morem modo alle-
gatum, Lac, aut Sanguinem, aut alium liquorem sacrum portabant.
Sed ritum hunc acerbè ridet Lucianus in persona filii illius, qui Pa-
trem simile sacrificium celebrantem reprehendit in Dialogo *de Luctu*:
Quid saxum, inquit, quod sepulchro imponitur coronis ornatum? aut
quid valet, quod merum funditis? Num putatis, illud ad nos destilla-
turum, & ad orcum usque perventurum? Cranium Tauri inter florum
fasciculos sacrificia funesta indicat, defunctis fieri solita.

- 14 INFERIÆ:) Alteram hanc Lucernam, cum iisdem inferiis,
Commendator Carolus dal Pozzo nobis gratiosè communicavit.
Meritò igitur superiori jungitur vel ideò, quòd loco urnæ aram ex-
hibeat, in cujus flammis duo pocillatores liquores fundunt, situlas
simul manibus tenentes. In Manubrio Lucernæ Luna visitur, quæ
& in pluribus sequentium, Proserpinæ procul dubio symbolum, cui
non minus ac aliis Diis, utpote & ipsi sub nomine Hecates compre-
hensæ, Lucernæ dedicatæ sunt.

- 15 SEQUUNTUR ALIÆ INFERIÆ:) Mulier in Patina,
mensæ imposita, edulia exhibens, eademque manu contingens, ali-
um sacrificiorum ritum videtur adumbrare: illum videlicet, quem
parentalia aut *feralia* vocabant, ab inferendis videlicet Epulis, hoc
est, à portandis ad usum mortuorum in sepulcra cibis, id quod sin-
gulis annis mense Februario à cognatis fiebat. In feralibus his sacri-
ficiis offerebant Favos, Apium, Lactucas, Panes & Placentas, quibus
ali-

aliquo modo convenire videntur cibi in Lucerna proposita expressi, inter quos panes liquidò agnoscimus. Hæc sacrificia summa cum cura observabantur, in memoriam cognatorum, quos ciborum indigos veteres credebant, gratum proinde facturi, si eos offerrent, id quod pluribus describit Lucianus in dicto *De Luctu* Dialogo. Aliam huc pertinentem imaginem dedimus ad sepulchrum Nasoniorum, numero VII; duravitque ea superstitione etiam sub primis Christianis, qui ad sepulcra Sanctorum Martyrum parentabant, qui tamen mos, ut vanus, à sanctis Patribus sublatus est. Lucerna asservatur in Cimiarchio Commendatoris Caroli Antonii dal Pozzo.

- 16 INFERIÆ:) Eadem Inferiarum aut Parentalium ratio etiam in hac Lucernâ vertitur. Mensam vides & quatuor vasa ad numerum liquorum, Aquæ, Vini, Lactis, & Sanguinis; His enim liquoribus, diebus funestis & anniversariis solebant Cineres & Ossa cognatorum & amicorum libando aspergere. Eo fine aditum habebant in sepulcra, ibique inveniebant urnas & arcas cum operculis variè perforatis, vel uno foramine vel pluribus, ad transmittendos videlicet & destillandos illos liquores. Spargebant insuper & Rosas aliosque flores, quibus proinde & nostræ Lucernæ latera ornantur. De Poculis his in libationibus usurpari solitis, exemplum est in Milesiis, ubi latrones, animis Thrasilonis aliorumque, *Poculis aureis memorie defunctorum Commilitonum Vino mero dicuntur libasse*. Talium vasorum aut poculorum quædam in nostro Musæo asservamus, ex terra nigra facta, & in sepulchris inventa, (*hodiè in Cimel. Regis Prussie visuntur*). In proposita Lucerna eorum vicem gerit Patera in formam Cymbæ adornata, unde Cymbium dicebatur, dependente juxta operculo, insititque vel Aræ vel Tripodi rotundo, libationibus videlicet & apto & destinato. Caput & pes Leonis, qui mensam sustinet, usui sepulchrali & ipse convenit; sæpè enim hoc animal in sarcophagis reperitur exsculptum, ut symbolum vigilantia & custodia sacrorum, quòd Leo sit animal solare & parcissimi somni: quâ ratione & portis & templis & aris affingebatur, idque ad scita Ægyptiorum, à quibus mos descendit; nam hi virtutes naturales ad Solem referebant. Unde & nos proposita Lucernæ hujus vasa potius usui funebri addiximus, quàm sacrificiis Bacchi, aut Bacchanalibus, idque ideò potissimum, quòd numero convenient liquoribus in Inferiis fundi consuetis: quanquam negari non debeat, etiam vasa unguentis & odoribus fervientia, inferiis videlicet celebrandis, iisdem in sepulchris, eundem in finem, reponi solita fuisse. Lucerna asservatur apud Petrum Santi Bartoli.

17 **SACRIFICIUM DIIS INFERIS FACTUM:**) Succedit alia Lucerna in modum Capitis Taurini formata. Refertur hæc ad sacrificia Plutoni & Proserpinæ facta, qui mos versibus Virgilii adstruitur, descensum Æneæ ad Inferos adumbrantibus. Sacerdos ibi vinò inter tauri cornua fusò, fetas sive capillos dicitur carpisse, eosque flammis imposuisse. Verba hæc sunt:

*Quatuor hîc primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique immergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua fetas,
Ignibus imponit sacris libamina prima.*

In multis marmoribus sepulcralibus sculpta visuntur Crania tauro-
rum aut boum, indicia sacrificiorum, placandis diis manibus celebra-
torum. Licet us ad similem Lucernam sub Bove terram, hominisque
humationem intelligit. *Pro bove terram, ideòque rectè bovis caput
referens humationem hominis designat.* Lucerna, ex terra satis artificiosè
formata, asservatur in divite & raro Museo Domini D. Leonis Strozzi,
cujus nobilissimum ingenium non minus claris natalibus fulget, ac
eruditionis sublimitate, cujus partus gloriosos propediem Doctorum
Orbis expectat.

18 **GRYPHUS:**) Gryphus antiquis monumentis non rarò affictus
cernitur; Est enim symbolum custodiæ, non minus ac leo, de quo
supra diximus, adeò ut hoc sensu etiam proposita in Lucerna sepul-
crali expressus ritè credatur. Animal hoc ex Aquila & Leone com-
ponitur, ideòque alatum est parte anteriore, respectu habito ad ve-
locitatem: posteriore, Leone videlicet, fortitudinem adum-
brante. Fabula est, Gryphos aurum in montibus Riphæis colligere,
idque contra quoscunque id rapturos advenas custodire: *Gryphi,
severum & pertinax genus ferarum, aurum penitus egestum mirè amant,
mirè custodiunt, & sunt infesti attingentibus*, scribit eam in rem
Mela. Et hæc ratio est, cur sepulchris afficti cernantur, ut scilicet
ea violaturos terreant & repellant; Custodientem fanè etiam in hac
Lucerna ex capite in attentionem erecto noscas. Potest etiam Gry-
phus aliò sensu sumi; Est enim symbolum Solis, ob cujus motum
perpetuum, imaginibus appositus, pedem alterum rotæ Currus sola-
ris imponere solet. Lucerna asservatur apud Dominum de With.

19 **SACRIFICIUM FUNEBRE:**) Ara, aut potius Columna,
supra quam flammæ ardent, consecrata videtur Diis Manibus. In-
deque conjectura est, duas etiam adjectas figuras alludere ad fune-
sta sacrificia & expiationes. Anterior dextrâ manu hastam tenet:
dextram autem apertam versus rogam extendit, more supplicantis.
Posterior, illius quasi comes, hasta jam ad columnam deposita,
B utram-

utramque hinc inde manum apertam extendit, plenò supplicantium ritu. Hastæ certaminis, aut Ludi cujusdam funebris, indicia sunt; Tales enim Ludos ad sepulcra celebrari solitos, exempla vel in sequentibus Lucernis demonstrant. Proposita inter alias est in Museo Domini Petri Santi Bartoli.

- 20 GLADIATORES SAMNITES:) Ludi Gladiatorii circa sepulchra celebrabantur superstitionis vetustati, quòd sanguine suos mortuos propitiari opinarentur. In Lucerna proposita, & proximè sequenti, agnoscimus unum genus Gladiatorum, & eos quidem quos *Samnites* vocabant, aut alio nomine *Hoplomachos*, ita dictos, quòd Pennas in Galea, & ocreas in sinistro crure gestarent, quem habitum Livius Militibus Samnitum adscribit: *Sinistrum crus ocrea tectum, Galeæ cristatæ*. De Pennis, quæ observantur in duobus his Gladiatoribus, ita Varro: *Pinnae, quas insigniti milites in Galeis habere solent, & in Gladiatoribus Samnites*. Erant adhuc alii Gladiatores, horum adversarii, & factionis diversæ, *Pinnirapi* dicti, quòd pinnas raptant. Lipsius in versum Juvenalis:

Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque Lanistæ.

Eos *Secutores* aut *Provocatores*, ex Cicerone & antiquo Onomastico appellat. Lucerna hæc in Museo Domini Commendatoris Caroli Antonii del Pozzo asservatur.

- 21 GLADIATORES SAMNITES:) De ocreis, quibus & hi Gladiatores sinistrum crus armarunt, intelligendus alter Satyrici locus, ubi foeminas Romanas, absque pudore artem Gladiatoriam in publico exercentes taxat:

*Quale decus, rerum si conjugis auctio fiat,
Balthæus & Manicæ, & Cristæ, Crurisque sinistri
Dimidium tegmen?*

Vegetius reddit rationem hujus armaturæ: *quòd certantes missilibus, sinistros pedes ante habere debent*. Lucerna apud Dominum Petrum Santi Bartoli est, reperta in horto Monasterii Sancti Eusebii.

- 22 PRÆFECTUS GLADIATORUM, VIRGATOR, SABINUS POPILLIUS:) Figura cum virga, quæ duos Gladiatores intermedia dirimit, ad eum Certaminum Præfectum referri potest, qui *Designator*, aut à virga, quâ utebatur *Virgator* dictus est. De iis Faber in Agonistico: *Quod ipsum Designatoribus ac Mastigophoris injunctum oneris ab Athlothesis, atque Curatoribus Ludorum, ut eorum interventi atque opera, ipsi Agonothetæ & Epistatæ sive Curatores Ludorum & Agonum Gymnicorum, si quid à parvis aut juvenibus Athletis adversus leges Agonisticas, decorumque atque ordinem esset admissum, hoc adhibitis*

bitis designatoribus atque Mastigophoris, hoc est Virgatoribus, ipsi vindicarunt. Nomen SABINI POPILLII arbitror ad Designatorem in Lucerna expressum referri. Lucerna ipsa cernitur apud Petrum Santi Bartoli, inventaque est extra Portam Celimontanam.

23 PUGILES:) Gladiatoribus succedunt duo pugiles, qui & ipsi in arenam descendebant, nudique se invicem pugnis petentes, ad mortem usque praeliabantur. Erant inter hos, qui majore insaniâ manus Cesto armabant, qualiter Virgilius, in ludis funebribus Anchisæ *Daretem & Entellum* describit. Lucerna est apud Dominum Petrum Santi Bartoli, inventa, ut præcedens, extra Portam Celimontanam.

24 DESULTOR CUM DUOBUS EQUIS:) Desultores in Circo, aut Hippodromo decurrentes non concinnius expressos videas, ac in proposita Lucerna. Isidorus: *Desultor, cum ad finem cursus venisset, desiliebat, ex Equo in Equum transiliebat*, eò omninò modò, quò Budæus, Livium imitatus, descripsit; *Erant Desultores, qui duos Equos absque Ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mirâ pernicitate desiliebant.* Ita Livius de Numidis locutus in bello Romano contra Asdrubalem, ad flumen Iberum: *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus Desultorium in modum binos trahentibus Equos, inter acerrimam sæpè pugnam, in recentem Equum ex fesso, armatis transultare mos erat. Tantiæ velocitatis ipsis, tamque docile equorum genus est.* Distat autem noster à Numidis, quod illi armati in prælium ruerent, hic autem nudus se exerceat, nullò ephippiò impeditus, soloque caput Pileò tectus, facilioris videlicet & ascensus & descensus gratiâ; unde Manilius: *Ludere per terga volantum.* Notat Festus Pompejus: Funera publica, *indictiva* dicta esse, ad quæ Populus à præcone convocaretur. In iis Desultores decurrebant, eaque Pompâ celebrantur exequiæ Ditiorum & Principalium in Urbe Virorum. Lucerna prostat apud Petrum Santi Bartoli.

25 CURSUS BIGARUM:) Auriga, quem bigis insistentem cernimus, peculiari nomine *Bigarius* dicebatur, à cursu duorum Equorum: quâ in actione observari debet, non sedendo, sed stando cursum fuisse peractum, unde Virgilius in Georgicis, de Erichthonio quadrigarum inventore locutus, *insistere* dixit:

Primus Erichthonius currus & quattuor ausus

fungere equos, rapidisque rotis INSISTERE victor.

Id autem faciebant, majoris inter rapidos cursus firmitatis gratiâ, quâ ratione & alterum pedem anteponebant, quod & ipsum hic cernimus,

nimus, ut videlicet majore cum agilitate possent fræna & retinere & laxare. Sidonius audiatur!

Tensis cum subito Lupatis,

Tensis pectoribus, pede ante fixo.

Imò & aliud observes. Auriga noster se inclinat, flagellumque præ-tendit, properantium ad metam equorum cursum recturus. Probe id notavit Virgilius:

Nec sic immissis aurigæ undantia lora

Concussere jugis, pronique in verbera pendent.

Lucerna asservatur apud Petrum Santi Bartoli, qui quidem fatetur Ludos & decursiones Equestres circa Rogos Imperatorum & illustrium factos esse: addit tamen, Circenses & Cursus Quadrigarum Consecrationi Imperatorum & Imperatricum proprios, Consultoque Senatus iis inter alios honores decretos fuisse, id quod exemplo Antonini & Faustinae, ex autoritate Capitolini asserit. Nos hîc Lucernas Circenses aliis ludis vel ideò rectè nobis videmur adjungere, quòd & ipsæ funebres sunt. Si autem aliquis Aurigas, Desultores, Gladiatores, aliosque, qui variis, his in Lucernis, inter se exercitiis differunt, non ad ritus funebres, sed ad aliud speciale, quo defunctos demerebantur, officium referat, ut videlicet ars connotetur, quam in vita defuncti profitebantur, nos non refragabimur. Imò nec repugnabimus aliorum arbitrio, etiam aliter de his sentientium.

- 26 **QUADRIGARIUS VICTOR:**) Sequitur Auriga victoriosus ex Cursu Quadrigarum. Stat in curru, non habitu cursuri in Circo, sed plausus ob victoriam & Populi acclamationes excepturi. Altera manu tenet palmam, alteram Triumphantis instar, ad laudes nominisque sui gloriam exollit & pandit. Acclamationes ejusmodi Circenses notat Epigramma Martialis in mortem Scorpi Aurigæ, nimis maturè gloriæ victoriarum erepti:

Ille Ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,

Plausus Roma tui deliciæque breves.

Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,

Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Lucerna fuit in Museo D. Joh. Petri Bellorii. Hodie in Thes. Regio-Elect. Brandenb. asservatur.

- 27 **CIRCUS:**) Inter alias insignes Lucernas, inventas hoc tempore, dum villa Dominorum Corsini in via Aurelia, extra portam Sancti Pancratii foderetur, producimus & propositam, quæ nobis non Aurigam tantum & quadrigas, sed & partes principales Circi exhibet. In medio

medio erectus cernitur Obeliscus, hieroglyphicis insignitus, inter duas Columnas, quibus Victoriæ insistent, palmas & coronas tenentes. Ab altero latere est Ara, aut delubrum Neptuni, cum septem Delphinis, ab altero Pulpitum Prætoris aut Consulis, qui signum dabat, & ludos celebrabat. Figura aurigæ, in hac & præcedente Lucerna, habitum Quadrigariis usitatum demonstrat, Tunicam videlicet, aut sagum breve, cum pectore fasciis cincto, ad quas habenas Equorum annectebant, ut eò fortius adstringere, aut etiam remittere, adeoque cursum ad libitum temperare possent. Rationem reddit Argolus in notis ad Panvinium, *de Ludis Circensibus*: *Ipsos enim habenis solitos præcingi, ut octo lora facilius possent distinguendo temperare, totiusque vi corporis Equos retinere.* Juvabant præterea hæc vincula etiam firmitatem, ne tam facile excuterentur in terram; Ita tamen annexa erant, ut facile solvi possent, utili cautione, ne cadentes in morem Hippolyti raperentur, de quo Ovidius in *Metamorphosi*:

*Excitior currū, lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprensa teneri.*

Sed de his videatur laudatus Argolus, ex autoritate Euripidis & Senecæ, in *Tragœdia de Hippolyto*: Item Schefferus de *Re Vehicularia*, qui eruditè de his scribit. Noster Quadrigarius adhuc Cassidem in capite habet, ad quam Statius cristas addit:

*Ipsè habitu niveus, nivei dant colla jugales.
Concolor est albis & Cassis & Infula Cristis.*

Lucerna apud Dominum Petrum Santi Bartoli asservatur.

28 EQUUS ALATUS:) Licet Equus hic alatus, & Heros, qui eum frenat, ad Ludos Circenses pertineant, addendos tamen censuimus ob signum & gloriam velocitatis, quòd Equus Pegasus referat alis, hieroglyphico cursus velocissimi, quò quasi volare videtur. Inde Claudianus velocitatem Equorum Cappadocum laudando:

In pascua fumant

Cappadocum, volucrumque parens Argæus Equorum

Figura, quæ frænum regit, potest Alexandrum referre, qui Bucephalum domuit, aut si mavis Bellerophontem, qui Pegasus frænavit. Rara hæc Lucerna custoditur in Museo Domini Canonici Raphaelis Fabretti, cujus fama ex doctissimis scriptis Erudito Orbi jamdudum innotuit.

29 BIGÆ CUM VICTORIA:) Victoria in bigis his, alterâ manu habenas regit, alterâ Coronam tenet, indicium videlicet præmii, obten-

obtentâ Cursus victoriâ reportati, honore victorem etiam post fata sequente, expresseque & in victoria aurigante & in Corona in circensibus obtentâ. Lucerna asservatur apud Dominum Commendatorem Carolum Antonium del Pozzo.

30 AURIGA VICTORIOSUS:) Ejusmodi Aurigæ credebantur immortales, suas ob victorias, quarum fama eos etiam in sepulcra sequebatur, id quod imago, hâc in Lucerna, cum palmæ ramo clarè testatur. Ejus in habitu distinctè visuntur vincula pectoris, quæ ex corio facta Latinis *Lora* dicebantur, in Cursu, ut suprâ dictum est, Bigariis & Quadrigariis usitata. In marmoribus sepulchralibus cernuntur sæpissime ejusmodi simulacra, solo cum Thorace expressa, imaginemque defuncti referentia, quæ *vultus* appellantur secundum Turnebum, quem & Dalechampus sequitur in sequenti Plinii loco: *Expressi cera VULTUS singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Ad quem locum Dalechampus: *Imagines eæ non integræ & totius corporis fuerunt, membris & lineamentis tantum effingentes humerorum tenus.* Lucerna asservatur apud Dominum Petrum Santi Bartoli.

31 BESTIARIUM:) Gladiatoribus addimus Bestiarios, qui exponebantur in arena, damnati ut pugnent cum Feris & Bestiis, unde & nomen traxere. Alter horum tenet scutum & hastam. Alter aggreditur & transfigit ursum, qui rabioso morfu ejus femur appetit. Notari in his meretur habitus. Non pugnant nudi, sed pectore armato, foemoribusque & cruribus munitis: circumligatis videlicet fasciis ex durissimo corio, aut alia quadam materia, ad elidendos ferarum, qui eos aggredierentur, & ungues & dentes. Exemplum ejusmodi fasciarum vidimus inter Gemmas antiquas Leonhardi Augustini, eo in Circulatore, qui exercet & mansuefacit ursum, brachio fasciis involuto ei escam præbendo. Lucerna in Museo D. Johannis Petri Bellorii asservabatur. *Hodiè in Gaza Regio-Elect. Brandenb. visitur.*

32 VENATIO LEONIS:) Licet Venationis hujus locus hîc propriè non sit, ob certam tamen cum priore figura similitudinem poterit apponi. Cernitur Leo ex specu suo generosè procedens, obviam Venatori, qui lanceam aut telum in eum vibrat. De Venatoribus ejusmodi Africanis, à Rege Boccho, Sullæ ad ludos Circenses missis, loquitur Seneca, in Libro de brevitate vitæ, eos *jaculatores* appellans: *Primus L. Sulla in Circo Leones solutos dedit, cum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis à Rege Boccho jaculatoribus.* Fortassis ejusmodi Africanum etiam proposita in Lucerna agnoscas, indi-

15

indiciū videlicet professionis, quam defunctus exercuerit. Pro-
totypon cernitur in Museo D. Commendatoris Caroli Antonii del
Pozzo.

33 CERTAMEN URSI ET TAURI:) Spectaculis & Ludis, in
arena exhibitis, optime quadrat certamen Urſi & Tauri, utroque vi-
delicet vinculis ſoluto, quibus, ut ex præcedente Senecæ testimonio
patet, aliās alligabantur. Hac ſanè ratione feras delectando Populo
in arena commiſſas, ex Martiale *de Spectaculis* patet. In propoſito
Taurus Urſo ſuccumbit, victorique in eſcam cedit. Lucerna aſſer-
vatur apud D. Petrum Santi Bartoli.

34 SALTATOR:) Dum ſepulchralia monumenta Villæ Corſinæ
à Sancto Pancratio fodiendo inquiruntur, inventa eſt & propoſita
Lucerna, in qua Saltator nudus membra ad ſonum crepitantem duo-
rum lignorum fiſſilium, an cannarum? agit, eas utraque in manu
ſimul concutiendo. Curioſa videtur hæc figura, & eo quidem ma-
gis, quò ſæpius depicta recurrit etiam in Muſaico ſepulchralis illius
pavimenti, in quo inter varios ſorum & foliorum ductus, quatuor
juvenes nudi ſimili modo ſaltant, quorum duo absque pileis utra-
que manu parvum ejuſcemodi lignum fiſſile quatiunt, duo reliqui
Pileati ſunt & altera tantum manu lignum fiſſile collidunt, altera
prætensâ geſtum Mimorum imitantes, quorum in ſequentibus ſimu-
lacia dabimus. Pollux libro quarto de ſpeciebus Saltationis, huius
generis non obſcurè mentionem facit: *Erat, inquit, fiſſilia trahere
ligna, Choricæ Saltationis ſpecies.* Sed reſtat, ut eruamus rationem,
cur in ſepulchris & Lucernis tales Hiſtrionum, Comicoꝝ, & Saty-
ricorum ineptias repræſentarint? Non alia eſt, quàm quòd in fu-
neribus indictivis Ditiorum & Nobilium, præter Lamentationes &
Nænias, luctusque ſonos, quibus lectum mortui comitari ſolebant,
ad movendum riſum etiam Saltatores, Mimi, & Moriones præcede-
rent: cujus ritus Dionyſius Halicarnaſſæus mentionem facit, citatus
à Kirchmanno de Funeribus: *Quia etiam in illuſtrium Virorum Fu-
neribus, præter alias Pompas, vidi & Satyricos Choros, qui lectulum
præcedebant, & Sirinnam ſaltabant.* Saltatores ejuſcemodi videas &
in duobus ſequentibus Lucernis.

35 DELINEATIO MUSAICI:) In Pavimento ſepulchri, modò
deſcripti.

36 SALTATORES:) In præcedente Lucerna vidimus primam ſal-
tationem Comicam, & Satyricam, ſaltante Saltatore uno & ſolo.
In propoſita ſe offerunt Saltatores gemini manus aperientes, palmas-
que ſibi invicem percutientes, more noſtrorum Ludiorum, aut Geſti-
culatorum, cum gladiolis ſuis.

37 **SALTATORES:)** Hac in Lucerna tres Saltatores Gibbi & ridiculi delineantur, inter saltandum fasciculum virgarum supra se in altum jactantes, eumque manibus distentis rursus captantes, ne in terram procidere possit. Lucerna cum Bellorianis Berolinum translata inter Cimelia Regio-Elect. Brandenburgica fulget.

LUCERNARUM
ANTIQUARUM SEPULCHRALIUM
ET
ICONICARUM
PARS SECUNDA,

Continens
Gentilium
DEOS.


CATALOGUS SCULPTURARUM

PARTIS II.

1. *Jupiter Custos.*
2. *Aquila* Κεραυνοφόρος, *fulmen gestans.*
3. *Aquila cum fulmine globo insistens.*
4. *Jupiter ab Aquila portatus.*
5. *Serapis.*
6. *Serapis.*
7. *Monstrum triceps Serapidis Alexandrini.*
8. *Serapis inter Castorem & Pollucem.*
9. *Serapis inter Deas.*
10. *Jupiter, Juno, & Minerva.*
11. *Sol & Luna.*
12. *Sol & Luna cum Stellis Septentrionalibus.*
13. *Capita Solis & Lunæ.*
14. *Apollo cum Grypho.*
15. *Gryphus Apollinis cum rota.*
16. *Pegasus.*
17. *Mercurius.*
18. *Mercurius.*
19. *Lucerna Baccho dedicata.*
20. *Bacchus & Serapis.*
21. *Silenus.*
22. *Satyrus utrem gestans, collo impositum.*
23. *Bacchans.*
24. *Bacchans furiosus.*
25. *Infantes Orgiastæ.*
26. *Priapus.*
27. *Vindemia.*



28. *Deus Terminus.*
29. *Hercules Leonem suffocans.*
30. *Cybele.*
31. *Dea Vesta.*
32. *Diana.*
33. *Diana Venatrix.*
34. *Diana Ephesia.*
35. *Diana Ephesia.*
36. *Mars & Diana.*
37. *Pallas Victrix.*
38. *Pallas aut Minerva jaculatrix.*
39. *Minerva*
40. *Minerva.*
41. *Venus Libitina.*
42. *Gratiæ.*
43. *Amor, Martis Victor.*
44. *Amor cum Pavone & Lepore.*
45. *Salus, aut Hygeia.*
46. *Fortuna.*







2

L TETIVS
ALYBVS
IOVI D D





















































































































1

OBSERVATIONUM,
IN
LUCERNAS VETERUM
SEPULCHRALES ICONICAS,
PARS SECUNDA;

Continens
Gentilium Deos.

1  UPITER CUSTOS:) Deos in sequentibus Lucernis delineatos contemplaturi, à Jove incipimus.

A Jove surgat opus!

Quem nos intelligimus Deum Optimum Maximum, rerum omnium & Authorem & Principium. Lucernam hanc pensilem æream Licetus *Jovi Custodi* adjudicavit, argumentò à Cane sumtò, qui ob suam canibus vigilantiam & custodiam pedibus affictus cernitur, quâ ratione & Laribus canes tribuuntur, Custodibus & Præsidibus domuum, quorum pedibus non minus addi solebant, canente Ovidio in Fastis :

Et Canis ante pedes saxo fabricatus eodem

Stabat. Quæ standi cum Lare causa fuit?

Servat uterque Domum, Domino quoque fidus uterque.

Compita Grata Deo, compita grata Cani.

Figura Jovis, fulmen & hastam tenentis, Jovi Custodi convenit, expressa in Numismate Neronis, & inscripta: JUPPITER CUSTOS. Nec tacendum est, eundem etiam Diis Penatibus annumerari, qui & ipsi Præsides & Custodes domuum credebantur.

2 AQUILA ΚΕΡΑΥΝΟΦΟΡΟΣ, FULMEN GESTANS:)

Lucerna hæc pensilis & ærea, magnitudine non vulgari conspicua est. Aquila unguibus fulmen præfert, additurque dedicantis titulus:

L. TETIUS ALIBUS

JOVI, DD.

De Aquila, Ave Regia, fulminisque Ministra, audiamus Horatium in Odis :

Qualem ministrum fulminis alitem,

Cui Rex Deorum regnum in aves vagas

Permisit.

Nobilissimus Michael Angelus Causeus, in Museo Romano, (Eruditæ Antiquitatis, quem nuper in lucem dedit, variisque reconditæ Doctrinæ flosculis illustravit, insigni Thesauro) Lucernam hanc, quam alias & Licetus vulgaverat, *Jovi Conservatori* adjudicat, vigore Numismatis Domitiani, in quo similis Aquila unguibus fulmen gestans JUPITER CONSERVATOR inscribitur; cujus effato & ipsi accedimus. Fulget insignis hæc Lucerna in celebri Museo Nobilissimi Equitis Domini Urbani Rocci, qui decora, quibus per Orbem gloriosus est, diligenti Antiquitatum, aliarumque rerum rarissimarum, & collectione & contemplatione adaugit. Cujus laudis & participem meritò pronunciamus ejus Conjugem Dominam Cynthiam Capodiferro, Madaleni Rocci, nam animi virtutibus splendorem & nobilitatem natalium adæquat.

3 AQUILA CUM FULMINE GLOBO INSISTENS:) Fulmen, Globus, & Aquila sunt symbola providentiæ divinæ, & ideo Romani *Jovi Rectori Orbis* ea assignarunt: Imò & usi iis sunt ad designandas consecrationes Imperatorum, quâ ratione in nummis occurrunt cum lemmate: CONSECRATIO; quòd post mortem eorum exemplo divinitate potirentur. Ramus Palmæ, quem Aquila rostro præfert, symbolum victoriæ est. In aliis ejus loco *Laurea*, in aliis *Corona Quercea* cernitur. Asservatur Lucerna apud Petrum Santi Bartoli.

4 JUPITER AB AQUILA PORTATUS:) Ad Jovem hunc ab Aquila ei consecrata portatum, & in sublime elevatum, illud potissimum memorandum videtur, quòd Romanis in usu fuit in consecratione, ut Imperatoribus suis defunctis Jovis honores vindicarent, eorumque animas ab Aquilis fingerent in cælum portari, & stellis inferri. Ambitione simili insaniebant & privati, defunctos suos habitu & cultu divino, ab Aquilis in cælum portatos figurantes, eoque modò quasi deificantes aut consecrantes. Lucerna hæc nobis communicata est à Marchione Camillo Maximi, cujus Generosi Spiritus, præter alia decora, etiam Eruditas Antiquitatum nostrarum delicias irradiant. Non minimum hæ sunt Palatii ejus ornamentum, imitaturque cum Coniuge Illustrissima, Domina Marchionissa Julia, pretiosissimo ejusdem familiæ germine, Gloriam Patru sui, Cardinalis Camilli Maximi, qui Romæ paucis abhinc annis & ornamento Patriæ & optimis Literarum studiis subtractus est.

5 SERAPIS:) Caput Serapidis cum Modio, aut Panario, & Corona radiata Solari in capite, Dei hujus naturam exprimit, quam Ægyptii cum Sole eandem putarunt, principium videlicet & finem rerum omni-

omnium ab eo procedentium, & in eum remeantium. *Cujus vertex, inquit Macrobius, insignitus calathò, & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostendit: Quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.* Eadem ratione Deus hic, idem etiam cum Plutone credebatur, Lucernisque sepulchralibus non rarò addebatur, id quod sequentes aliquot Lucernæ testabuntur. Proposita rarò elaborata artificiò apud Dominum Canonicum Raphaelem Fabrettum asservatur.

6 SERAPIS:) Hac in Lucerna cernitur Serapis cum imposito capiti Panario, aut Calathò, ex juncis textò. Pingitur etiam cum Modio in signum abundantiae & foecunditatis. Sedet, & altera manu tenet sceptrum, alteram tricipiti monstro imponit, ei videlicet, quod & statuæ Serapidis Alexandriae junctum, Macrobius descripsit, cujus locum ad sequentem figuram enarrabimus. Lucerna hæc reperta apud Portam Capenam intra muros, asservatur apud Petrum Santi Bartoli.

7 MONSTRUM TRICEPS SERAPIDIS ALEXANDRINI:) Inter Antiquariam nostram farraginem, habemus etiam Icunculam æream cum tribus diversorum animalium capitibus. Talis ab Ægyptiis additur Serapidi Solem adumbranti. In medio est caput Leonis, à dextra placidi Canis, à sinistra rapacis Lupi, ad indicanda videlicet tria tempora, præsens, præteritum, & futurum. Ut res clara fiat, & iis simul respondeatur, qui Cerberum tricipitem agnovère adjicimus Macrobii locum in Saturnalibus. *Eidem Ægypto, inquit, adjacens Civitas, quæ Conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapin atque Isin cultu penè attonitæ venerationis, Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus insigunt, vel dum simulacro signum Tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo capite LEONIS effigiem. Dextra parte caput CANIS exoritur, mansueta specie blandientis. Pars vero læva cervicis, rapacis LUPI capite finitur: Easque formas animalium DRACO connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dextram, quæ conspicitur monstrum. Ergo Leonis capite monstratur præsens tempus, quia conditio inter præteritum futurumque actu præsenti valida fervensque est; Sed præteritum tempus Lupi capite signatur, quòd memoria rerum transactarum rapitur & aufertur: Item Canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum, de quo nobis spes, licet incerta, blanditur.* Corpus hujus monstri & ipsum, figuram Leonis refert; sed loco unius serpentis, quem Macrobius ait formas connectere, in Icuncula nostra aperte duos observamus, qui quatuor spiris aut voluminibus à collo ad crura usque monstrum ambiunt, fortassis ut

4

quatuor stationes denotentur, quæ perpetuò cum Sole volvuntur. Amuletum hoc, aut si mavis hieroglyphicum antiquum, licet exiguum metallo, pretiosissimum tamen donum est Domini D. Leonis Strozzi. *Hodiè in Thes. Regio-Elect. Brandenburgico asservatur, jure Emptionis cum toto Bellorii Museo ei additum.*

8

SERAPIS, INTER CASTOREM ET POLLUCEM:) Inter alios cum Diis reliquis Serapidis nexus, etiam Deus infernalis, & idem cum Plutone credebatur, uti jam suprà vidimus, ubi & dictum est, hanc rationem esse, quòd sæpiusculè Lucernis affictum videamus. Ita sanè Julianus Imperator in Oratione de laudibus Solis, qui cum Apolline idem est: *Unus, inquit, Jupiter, unus Pluto, Unus Sol & Serapis.* Credebatur videlicet Deus maximus, non horribilis, sed benignus & mitis, ad quem animæ justæ eveherentur, non à quo aliæ transmigratione in alia corpora punirentur. *Hinc non absurde Plato prudentem Deum, dixit, esse Plutonem, quem quidem nos aliò nomine Sarapidem vocamus, quasi à, dñ hoc est sub aspectum minimè cadentem, & intelligentiâ constantem, ad quem sublimes evehi narrat illorum animas, qui quàm optimè justissimèque vixerunt. Non enim ille cogitandus est, quem horribilem nobis fabulæ describunt, sed mitis potius, & benignus alter, qui generatione penitus animas exsolvit, non, solutas rursus aliis corporibus affigit, ut eas puniat, & ante actorum pœnas exposcat; quin easdem contrà sursum dirigat, & ad intelligibilem mundum sublatas evehat.* Quod additas duas figuras, Castorem videlicet Pollucemque, attinet, symbolum hi sunt immortalitatis animæ humanæ. Helenam fingunt duos peperisse filios, Pollucem & Castorem, & illum quidem ex Jove immortalem, hunc autem ex Tyndaro mortalem. Hòc deinde in prælio interemtò, fratrem, ejus amore captum, à Jove impetrasse, ut immortalitatem suam ei communicare posset, ita ut sex mensium vitam mortemque invicem alternarent. Inde stellis annumerati sunt, ajuntque astronomi, unò surgente alterum occidere. Stellas illas in Lucerna nostra capitibus impositas deprehendimus, putanturque salutare. Sed & illud notandum, Duos hos fratres Equos suos frænis apprehensos ducere, qui & ex Equis pugnantes in prælio contra Latinos apparuère, indeque & in foro Romano, in fonte Templo Vestæ vicino, visi sunt Equis sudorem abluere, victoriamque Romanis nunciârunt. Lucerna Joh. Petri Bellorii fuit: *Nunc cum ejus Museo Thesauro Regio-Elect. Brandenburgico accessit.*

9

SERAPIS INTER DEAS:) Sub figuris elegantissimæ hujus Lucernæ, latent mysteria Naturæ, principium videlicet & generatio rerum, ad opinionem eorum, qui viâ Philosophicâ causas vitæ mor-

5
mortisque inquirebant; & simul Deos votis & sacrificiis demulcebant. In superiore segmento sedent tres Dii, quos Magnos appellabant, *Jupiter, Juno, & Minerva*, Dii Romanorum videlicet Penates, quibus Tarquinius Priscus Templum cum tribus cellis in Capitolio extruxit. Ad hos dirigebantur Vota & Sacrificia, quod essent auctores humanæ vitæ, à quibus & corpus, & spiritum, & rationem acciperemus. Ita & Jovem, medium ætherem, Minervam summum, Junonem infimum credebant, teste Macrobio, cujus en Tibi verba! *PENATES esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. Esse autem medium æthera Jovem, Junonem verò imum aëra cum terra, & Minervam summum ætheris cacumen, eò argumentò utuntur, quod Tarquinius Demarathi Corinthii filius, Samothraciis religionibus mysticè imbutus, unò templò, & sub eòdem tectò, Numina memorata conjungit.* Sub his Sol & Luna quadrigis & bigis vehuntur, ad designandam fœcunditatem Terræ, ex temperamento caloris & humoris prodeuntem. Sedet in imo Neptunus, aut si mavis pater Oceanus, alteram urnâ subnixus, altera ancoram tenens, quod primum rerum principium & Elementum aqua esset, ex qua primam generationem & hominum & rerum putabant prodiisse. Ejusmodi autem symbola sepulcris ideò inscribebant, quod post mortem se renovandos crederent, reversurosque ad suam originem. Reliqui duo juvenes, qui medii ex nubibus exsurgunt, quique retortas buccinas inflant, imitari videntur tempestatum turbines, strepitumque ventorum, qui nubes & vehunt & in pluvias disjiciunt, quibus postea fœcunditas naturæ promovetur. Credebant videlicet, Animam aliud nihil esse, quàm ventum. Inde Virgilius:

Par levibus ventis.

Lucerna ex Museo Joh. Petri Bellorii desumpta est, *asservaturque hodie Berolini in Gaza Regio-Elect. Brandenburgica.*

10 JUPITER, JUNO, ET MINERVA:) Ad præcedentem Lucernam sub Jove, Junone, & Minerva principium rerum contemplati sumus. Hic eadem basi agnoscimus effectum in figura Junonis, alterâ manu Cornucopiæ aut Amaltheæ tollentis, alterâ fertum ex floribus & pomis ligatum intra sinum tractantis, ad indicandam videlicet Terræ fertilitatem, ex virtute Junonis procedentem. Inferiorem Hanc aëris partem putabant, & quidem terræ conjunctam, imò terram ipsam, pluviis humidam, & à Jove quasi imprægnatam. Ita Virgilius:

*At pater omnipotens fœcundis imberbus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit.*

Inde & Varro: *Antiqueis enim, quod nunc, & hi Dei Cælum, & Terra, Jupiter, & Juno.* Arnobius, contra Gentilium Deos, eorumque cultum disputans, de Junone non secus ac de Pomona loquitur: *Si aer ille est, inquit, quemadmodum vos ludere ac dictitare consueitis, Græci nominis præposteritate repetita, nulla soror, & conjunx omnipotentis reperietur Jovis, nulla Fluvidomia, nulla Pomona.* Lucerna nobis communicata est à Domino Commendatore dal Pozzo.

II SOL ET LUNA:) Credebant antiqui, post diuturnum horum Planetarum cursum, defunctos à peccatis prioris vitæ purgatos, esse resurrecturos. Huc referimus narrationem Socratis apud Platonem in Phædone, de animarum iterata non semel ex corpore mortali migratione, & in vitam reditu. *Ex veteri sermone, inquit, abire ad inferos animas defunctorum, rursusque huc reverti, fierique ex mortuis, quasi quodam Circulo remeantes, ad demonstrandam animæ immortalitatem; nam ex viventibus mortui, ex mortuis viventes, ratione contractorum fiunt.* Aliam adhuc rationem adducemus infra cum symbolo Æternitatis. Facies Solis duodecim radiis resplendet, respectu duodecim mensium, quos Sol cursu annuo illustrat. Sub pectore curvatur Luna crescens, cornibus planetæ majori obversis, ad significandum lumen quod ab eò recipit. Pulli, qui rostro grana legunt, in manubrio Lucernæ delineati, indicant defunctum fuisse Pullarium, qui vivens Pullorum curam egerit, ex quorum esu Augures futura prædicebant. Lucerna inventa est *in Templo St. Johannis & Pauli in monte Celio, & asservatur apud Dominum Petrum Santi Bartoli.*

12 SOL ET LUNA CUM STELLIS SEPTENTRIONALIBUS:) Rariore invento hac in Lucerna Sol & Luna cum septem Plaustri stellis finguntur, tanquam symbolum Æternitatis, & loci, quem veteres Romani defunctorum animabus assignabant; ibi videlicet, quò & Imperatores suos post consecrationem ascendere crediderunt, quòd stellæ ibi nunquam occiderent, sed suprâ Horizontem nostrum semper splenderent. Inde Manilius:

*At qui fulgentes cælo consurgit ad Arctos,
Omnia, quæ summo despectant sidera mundo,
Nec norunt obitus.*

Eodemque loco etiam Astrum Cæsaris apparuisse dicunt. Plinius refert verba Augusti in Capitolio, de eo Cometa: *In ipsis ludorum meorum diebus, sydus crinitum per septem dies, in Regione Cæli sub SEPTENTRIONIBUS, est conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, & omnibus terris conspicuum fuit. Eò sidere signi-*

7

significari vulgus credidit Caesaris animam, inter Deorum immortalium Numina receptam, quò nomine id insigne simulacro capiti ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est. Eòdem modò etiam Claudianus in Quarto Consulatu Honorii :

*Visa etiam medio Populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso
Languida; sed quantus numeratur nocte Bootes
Emicuitque plagis alieni temporis hospes
Ignis, & agnosci potuit cum Luna lateret:
Sive parens Augusta fuit, seu fortè reluxit
Divus Avus.*

Omnia hæc confirmantur autoritate Numismatum, Faustinarum potissimum, in quibus Luna crescens & septentriones inscribuntur: **CONSECRATIO.** Lucerna est apud Dominum Canonicum Raphaellem Fabretti.

- 13 **CAPITA SOLIS ET LUNÆ:)** Ob eandem rationem & in hac Lucerna capita Solis & Lunæ, sibi invicem obversa, exprimuntur, alterum quidem radiatum, alterum autem cum Luna crescente, fronti imposita. Notandus hic est Apollinis crinis, non intonsus & promissus, ut in aliis ejus effigiebus cernitur; sed erectus & flammans, in morem radiorum. Additur, & Orbem simul illustrat, & calefacit, Solaris fax, quòd Mundus, quâ parte Sol splendet, semper etiam illuminetur, & ad rerum generationem calore Solis aptetur. Lucerna Joh. Petri Bellorii fuit, hodiè in Cimeliarchio Regio-Electoralis Brandenburgico asservatur.

- 14 **APOLLO CUM GRYPHO:)** Hæc imago Harmoniam Apollinis significat, Lyrâ suâ anni tempora, ipsamque adeò Naturam demulcentis. Additur alatus Gryphus, quem Apollini consecratum esse, ejusque currui jungi, ex Claudiano patet:

*At si Phæbus adest, & franis Grypha jugalem
Riphaeo tripodas repetens detorsit ab axe.*

De Grypho sepulchris addi solito suprâ numero 18. Partis primæ dictum est. Delphines Lucernæ manubrio afficti delectationis testes sunt, quam Delphines ex Musica capiunt. Exemplo esse potest Ille, qui suavitate cantûs Lyræque harmoniâ ductus, Arionem maris fluctibus eripuit, patriæque suæ incolumem restituit. Et hinc etiam cœlestis, *Signum Musicum* appellatur à novenario stellarum numero, quò numerum Musarum adæquat. Adde quod & Apollo *Delphinus* cognominatus est, quòd Delphini formam imitatus Castalio

Cretenſi, Coloniam Delphos ducenti, ſe Ducem præbuiſſet, unde poſtea & Urbi & Oraculo nomen fuit. Lucerna hæc Muſei Bello- riani fuit. *Hodiè inter Antiquitates Regio-Elect. Brandenburgicas aſſer- vatur.*

- 15 GRYPHUS APOLLINIS CUM ROTA:) Rarò Veteres inven- tō circulationem anni, temporumque revolutiones imagine Gryphi expreſſere, pede ſuo rotam Solarem volventis, eò modò quò propo- ſita in Lucerna viſitur, quam proinde Apollini ob perpetuum Solis & temporum circuitum ſacratam, rectè pronunciamus. Clemens Alexandrinus refert, Ægyptios in templo hujus Dei continuò motu rotam volviſſe, idque ob eandem planè rationem, indicaturos vide- licet, & nativitatē & conſervationem rerum, à motu & circum- agitatione rotæ Solaris dependere. Lucerna hæc ex metallo penſilis Bellorii fuit. *Hodie in Theſauro Regio-Elect. Brand. viſitur.*

- 16 PEGASUS:) Idem, quod Grypho, currūs Solaris videlicet trahendi officium, etiam Pegaſo attribuerunt. Etiam hic, ut Hiero- glyphicum Solis, non rarò ſepulcris additur. Exemplum dedimus inter picturas Naſoniorum, ubi tribus imaginibus inſertus eſt, vel Heroës in cœlum & campos Elyſios portans, vel ipſum Solem de- notans, alasque & volatum indefeſſo Solis curſui, gyroque Sphæræ Solaris continuò accommodans. Alatos ejusmodi Equos Solis cur- rum trahere, Ovidius cecinit:

Sextus ubi è Terra clivoſum aſcendet Olympum

Phæbus, & alatis æthera carpēt Equis.

Quâ opinione, ut ſuprà diximus, & quæ etiam Pythagoræ mens fuit, indicare voluere, poſt diuturnas hujus Planætæ revolutiones, omnes res, ipſosque adeò etiam homines, in vitale ſuum principi- um eſſe redituros. Lucernam inventam in via Appia Dominus Pe- trus Santi Bartoli poſſidet.

- 17 MERCURIUS:) Hic Deus frequenter in Lucernis ſepulchra- libus occurrit, idque ideò, quòd Diis inferis annumeretur, & animas ex hac vita in Tartara fingatur ducere. Officium hoc deſcribit Ho- ratius in Hymno:

Tu piās letis animas reponis

Sedibus, virgâque levem coërces

Aurēâ turbam, ſuperis Deorum Gratus & imis.

Addamus & Papinium in perſona Tireſii Deos Manes invocantis:

Virgâque potenti nubilis arcas agat.

Inventa Lucerna eſt in Via Lavicana. Communicata nobis ab Hu- manif-

9

maniſſimo Domino Carolo Simoncini, Profefſore Medicinæ celeberrimo.

18 **MERCURIUS:**) In hac Lucerna Mercurius erectus cernitur, eiſque ad pedes adſtant Gallus & Aries: Et gallus quidem Deo ſacer ob vigilantiam potiſſimum, quæ mercatoribus neceſſaria eſt: ut taceam ejusdem *aſſeſſorem* creditum, quòd præſtigiatores ei efficaciam veneficiorum adſcriberent. Quod Arietem attinet, is Mercurio ideo ſacer eſt, quòd Deus hic greges augere putaretur, adeoque lanificia curaret, unde Pauſanias ſtatuam ejus, arieti infidentis, Corinthi: aliamque, arietem humeris portantis in Bœotia fuiſſe memorat. Prior inter Gemmas Leonh. Auguſtini occurrit. Lucerna hæc apud Dominum Fabritium Chiari Pictorem excellentiſſimum oſtenditur. *Hodiè in Cimel. Regio-Elect. Brandenb. proſtat, cum Bellorianis translata.*

19 **LUCERNA BACCHO DEDICATA:**) Id patet ex folio vitis, cujus formam manubrium imitatur; Bacchus enim vini vindemiarumque author credebatur. Lucerna hæc penſilis & ærea eſt. Similis argumenti plures, quæ ſequuntur, (pertinentes videlicet ad Chorum Bacchicum) præter quòd Bacchus, ut Deus infernus fuerit cultus, referri etiam poſſunt ad initiatos Bacchicis Myſteriis, & Orgiis, qui proinde Bacchi ſymbola in ſepulcris ſuis expreſſerint, id quod etiam in Gemmis annularibus faciebant. Lucerna Belloriana fuit: *nunc Regio-Elect. Brandenburgica eſt.*

20 **BACCHUS ET SERAPIS:**) Sedet Bacchus manu Thyrfum aut ferulam geſtans, pedibusque aſſiſtit ei conſecrata Tigris. Manubrii locum obtinet Serapis, quòd & ipſe Deus infernus crederetur. Adde quòd ex variis de nativitate ejus traditionibus, Bacchus filius Jovis & Proſerpinæ crederetur, indeque Baccho, Proſerpinæ & Cereri Myſteria Eleuſiniorum communia eſſent. Habitus quietè ſedentis, cum brachio retrò elevato & recurvo, manuque capiti impoſita, Deum liberum, quietum, & ab omni cura ſecurum adumbrat; Nam vinum mentem ab omni cogitatione moleſta liberat, unde & Bacchus *Liber* & *Lyæus* cognominatur. Eam in rem Ovidius:

Cura fugit, multo diluiturque mero.

Lucerna cum Bellorianis *Gazæ Regio-Elect. Brandenb.* ceſſit.

21 **SILENUS:**) Hac in Lucerna Silenus Cantharum manu præfert, quòd eſſet Bacchi Nutritius & Pædagogus: Hinc de eo Virgilius:

Et gravis attritâ pendebat Cantharus anſâ.

Lucerna inventa est in Villa Corfini, asservatur in Museo Domini Petri Santi Bartoli.

- 22 SATYRUS UTREM GESTANS COLLO IMPOSITUM:) In Bacchanalibus tempore vindemiarum celebrari solitis, Satyrus utrem gestat, musto repletum, pendentibus è vite uvis. Accedit fistula septem compacta cicutis, Satyrorum delictum, Deo Pani sacra ob memoriam Syringæ; fingeantur enim hi inter sonos muficos & saltationes hilariter vivere. Lucerna cum Bellorianis *Gazæ Regio-Elect. Brandenburgicæ* accessit.
- 23 BACCHANS:) Etiam hic utrem collo impositum gestat: manu præfert tintinnabula annulo alligata, quæ percussa & agitata sonum reddebant. Addimus fragmentum lateritium, in quo Baccha manu Tympanum præfert, cui tigris impressa est, cujusque in extremitatibus ejusmodi tintinnabula appensa cernuntur, quæ simul cum tympano percussa, sonum argutum & ipsa edebant. Accedit & scutulum æreum cum septem campanulis, eidem olim usui servientibus. Omnia hæc cum Museo Belloriano in *Gazam Antiquariam Regis Prussiæ Berolinum translata sunt, ibidemque asservantur.*
- 24 BACCHANS FURIOSUS:) Currit hic Orgiastes Bacchico furore agitated, pampinis coronatus, alterâ manu thyrsum tenens, alterâ ferulam aut baculum attollens, assilientem pedibus canem verberaturus. Lucerna est apud Dominum Marcum Antonium Sabatini.
- 25 INFANTES ORGIASTÆ:) Saltabant & cantabant ejusmodi infantes in Choro Orgiorum puerili. Propositorum alter ex Cantharo vinum fundit, alter Sistrum quatit, forma trianguli virgatum. Ferreum id erat, tactæque virgæ argutum sonum edebant. Pollux inter Instrumenta Musica quæ percutiebantur, memorat & Trigonum, à Triangulo sic dictum. Pretium Lucernæ mirum quantum extollit dignitas eam possidentis. Marchionissa Octavia Renzi Strozzi, Matrona illustrissima pro eo, quò Eruditæ antiquitatis reliquias liberaliter prosequitur, amore, & hanc & quasdam sequentium operi nostro inferendas, benignissimè concessit.
- 26 PRIAPUS:) Simulacrum Priapi non sine causâ Bacchum sequitur, utrumque enim unum numen creditum, vel inde constat, quòd in Pompa Dionysiaca Priapi simulacrum solenniter portabatur. Fructus, quos sinu præfert, & erectum sub iis virile membrum, fecunditatis & generationis symbola sunt, quas Priapi potentia subiectas fabulabantur. Altera manu falcem rusticam prætendit terrendis

II

rendis & furibus & volucribus; alterâ ramum Pini extollit, ob affinitatem cum Sylvano. De eo Tibullus:

*Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sævâ falce PRIAPUS aves.*

Figura rara est ob habitum & lacernam rusticam, in pectore fibulâ adstrictam.

27 VINDEMIA:) Sequuntur Vindemia & Vindemiatores, qui variò habitu uvas portant, vel à baculo dependentes, humeris imposito, vel etiam in Corbibus aut Cophinibus. Trahitur & currus duobus bobus, iugo alligatus, cum rotis solidis capsæque curva, aptata rotunditatî vel utris, vel dolii musto repleti; nam accuratè non discerno. Lucerna Bellorii fuit. *Nunc in Gaza Regio-Elect. Brand. asservatur.*

28 DEUS TERMINUS:) Robur, quod proposita in Lucerna erigendo Termino Figuræ intendunt, satis clarè demonstrat, & pondus & statuam marmoream esse, adeoque ponendam aut in Confiniis agrorum, aut in Triviis, aut in Viis. Instrumenta Musica, Cymbala, Tibiæ, & Fistula, festum dedicationis & annua sacrificia indicant. Alii fortè statuam hanc Sileno tribuent, quod per melicebit, cum & huic ea symbola convenient, imò & Cantharus & Vitis eum demonstrare videantur. Plures videlicet, etiam præter Mercurium, Dei rustici, formâ Termini ponebantur: Satyri videlicet, Pan, Priapus, Silenus, Hercules & alii. Rarissima hæc Lucerna apud D. Petrum Santi Bartoli visitur.

29 HERCULES LEONEM SUFFOCANS:) Ecce Heroem, qui fauces Leonis Nemæi stringendo, ei spiritum intercludit & belluam suffocat! Primus hic ejus labor fuit. Ita Archytas:

*Non amplius Tauricomi gravem victum Leonis
Formidate Agricola Pastores Nemeæ,
Certè enim ab Hercule optimo Certatore cecidit, domitus
Cervicem, feram occidentibus strangulatus manibus.*

Herculis labores sæpè in arcis sepulcralibus sculpti occurrunt; iis enim peractis in cœlum abiit, Gloriam terræ reliquit. Lucerna Domini Philippi Fabbri est, inventa in via Appia propè Templum Sancti Sebastiani.

30 CYBELE:) Notum est simulacrum Cybeles; five *Rheam* aut *Magnam Matrem* appellare mavelis. Capiti impositam coronam turritam gestat: Altera manu Tympanum tenet: pedibus adstant

Leones. Hæc omnia symbolicè ad terram referuntur, indeque & ratio cultûs hujus Deæ respectu mortuorum, ea in precationis formula consistere videtur, quâ terram defunctis levem precamur:

Sit tibi Terra levis!

Ita & corporibus insepultis ter terra injiciebatur, idque pietatis officium loco sepulturæ erat, vocabaturque *Terræ injectio*. Lucerna asservatur apud Dominum Priorem Claudium Michaellem Borgagnonem, rariorem antiquitatum ut studiosum, ita & inter paucos intelligentem. Is nobis ectypon huic operi inferendum liberaliter communicavit.

- 31 **DEA VESTA:**) Statua hujus Lucernæ in pedes erecta, tædamque manu tenens, & comites utrinque Leones habens, non abs ratione Deæ Vestæ tribuitur, respectu habitû ad Cybelem, aut ex communi consensu Terram; nam unam eandemque has esse creditas, ex Ovidio constat in Fastis:

Vesta eadem est quæ Terra, subest vigil ignis utrique.

Significant sedem terra focusque suam.

Nam terra ab igne animatur, sine igne maneret infœcunda & sine vita. Leones consueta Cybeles & Terræ symbola sunt, uti in Lucerna præcedente vidimus, cui accedit, quod Leones etiam naturæ igneæ & Solaris sint. Lucernam hanc etiam Licetus, & nuper adhuc Dn. Michael Angelus Caufcus in Museo Romano vulgârunt, ad quos Lectorem nostrum remittimus. Asservatur apud Dominum Marcum Antonium Sabatini.

- 32 **DIANA:**) Pulchrum est hoc Dianæ simulachrum, habitu succincto, venatricis instar, cum arcu & pharetra. Hæc eadem credebatur cum Proserpina. Lucerna Bellorii fuit. *Hodiè in Gaza Regio-Elect. Brandenburgica fulget.*

- 33 **DIANA VENATRIX:**) Licet Diana hac in Lucerna telum vibret, ferituræ instar, tamen Cerva ei quieta, ictûsque secura assistit. Erat enim in Dianæ tutela hoc animal, eique dedicatum, cujus proinde & currum trahebat, & statuis affingebatur. Addi potest & ratio symbolica à velocitate, quâ Cerva omnes quadrupedes vincit, ut Luna in Zodiaco cursu suo omnes reliquos planetas superat. Luna, inquam, quæ cum Diana eadem creditur. Lucerna hæc apud Dominum Petrum Santi Bartoli asservatur. Inventa est in Esquiliis, via Montalta.

- 34 **DIANA EPHESIA:**) Propositam Lucernam Dianæ Ephesiæ dedicatam esse, ex impressa symbolica Deæ statua apertum est. Ultra hanc

13

hanc autem, in manubrio fatis distinctè Lectisternium Serapidis & Ifidis, ex impositis eorum vertici Modio & Loto; item Lectisternium Solis & Lunæ agnoscitur: quorum utrique sibi invicem vultibus obversi, manus porrigunt, vix aliam ob causam, quàm quod hi Dei, licet sub diversis nominibus tam apud Ægyptios, quàm apud Romanos, unum idemque numen fuerint, & ad Generationem, excitatamque in vita rerum substantiam concurrant: quâ ratione etiam simulacra eorum sepulcris afficta fuisse, jam supra observavimus. Lectisternium apud Romanos erat Epulum aut Convivium Diis instrui solitum, ad eos placandos & propitiandos. Inde in Lucerna nostra ante lectum mensa cernitur, figurâ Tripodis & cum impositis cibis. Præcipuum autem apud Romanos Epulum Jovi, Junoni, & Minervæ in Capitolio parabatur. Lucerna se commendat inter delicias Antiquarias D. Petri Santi Bartoli.

35 DIANA EPHESIA:) Hæc Lucerna Dianæ Ephesiæ non minus dicata est, ac præcedens. Luna crescens in manubrio exsurgit, inscriptusque est Græcus Dedicationis Titulus, his verbis: ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΩΝ ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. DIANA EPHESIORUM EUTYCHIS ALEXANDRI MILETOPOLITARUM. Eutyches hic, qui Lucernam Dianæ Ephesiæ dedicavit, Strategus, sive Prætor Miletopoli fuit, testante Numismate Commodi, quod produximus in additamentis nostris ad simulacrum symbolicum Dianæ Ephesiæ. Pretiosissima hæc Lucerna, simul cum Museo Belloriano, Berolinum translata est, radiatque hodie inter *Antiquitates Regio-Electorales Brandenburgicas*.

36 MARS ET DIANA:) Cùm alia figurarum in hac Lucerna non appareat ratio, poterunt ad Deos defuncti tutelares referri. Lucerna cum Bellorianis *Gazæ Regio Elect. Brand.* cessit.

37 PALLAS VICTRIX:) Titulus, PALLADI VICTRICI, Deæ huic, & armatæ & bellicæ, familiaris est. Simulacrum erat Athenis, & ab ea credebant procedere Victoriâ. Eam in rem Phurnutus: *Victoriâ Minervæ assidere tradunt, quòd vincenti victoriâ tribuat.* Adde quòd *victricis* cognomen eidem etiam in Inscriptionibus & Nummis tribuatur, quod Exercituum duces in expeditionibus bellicis debeant prudentes esse & consiliis valere. Insignis hæc Lucerna & ærea & pensilis, vulgata jam prostat, aliqua tamen cum differentia, apud Fortunium Licetum. Pallas altera manu ramum Olivæ præfert, in signum victoriæ de Neptuno, in certamine: *uter nomen Athenis imponeret?* Etiam hæc Lucerna, cùm Bellorii fuerit, Berolinum translata, hodiè inter *Regio-Elect. Brandenburgicas* visitur.

- 38 PALLAS AUT MINERVA JACULATRIX:) Minerva hac in Lucerna hastam vibrans, minantis instar, alludere videtur ad Etymon nominis sui, à *Minando* deducti. Martianus Capella reddit rationem allegoricam sapientiæ hujus Deæ:

Hastam etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

Lucernam hanc possidet D. Petrus Santi Bartoli.

- 39 MINERVA:) Lucerna hæc, simulacri cujusdam in pedes erecti figurâ, à prioribus etiam, quoad habitum Numinis diversa est. Minerva hic non formidabilis est, non minatur, sed cum hasta & scuto quiescit pacifera & benigna. *Pacifera* inscribitur etiam in antiquis Numismatibus, quòd pax bonarum artium, quibus illa præsidet, studiis quæratur. Cæterum Minervam etiam eandem fuisse cum Proserpina, jam suprà monuimus. Lucerna asservatur in Museo D. Leonis Strozzi, non degener testis Eruditionis rarissimæ, quò Possessor dignitatem natalium illustrat.

- 40 MINERVA:) Nota est fabula de Minerva Oleæ inventrice. Virgilius eam hoc elogiò mactat:

Oleæque Minerva inventrix.

Factum id esse in certamine cum Neptuno, de imponendo Athenis nomine, jam suprà diximus. Ut autem Cereri & Baccho Veteres inventionem frumenti & vini adscripsere, ita adscripsere Minervæ inventionem olei, quod prima id mortalibus monstrasset. Res in nostra Lucerna adumbratur. Mensam cernimus cum vasculo, ipsaque Dea digitis premit oleæ fructus, oleumque in vasculum destillat, eodem modò quò & in Marmore Galeriæ Giustinianæ. Lucerna cum Bellorianis, *Regio-Elect. Brandenburgicis* accessit.

- 41 VENUS LIBITINA:) Succedit alia Lucerna, & ipsa simulacri in formam elevata, cui Venus Libitina afficta cernitur, quod nativitati non magis ac morti crederetur dominari, unde & Romæ in ejus Templo instrumenta funerum ponebantur. Credebatur proinde & ipsa Numen infernale, eique potestas dabatur ducendi animas in Campos Elysios, in specie animas amantium, canente Tibullo de se ipso:

Sed me quò facilis tenero sum semper amorì,

Ipsa Venus Campos ducat in Elysios.

Lucerna est apud D. Petrum Santi Bartoli.

- 42 GRATIÆ:) Veneris Comites sunt Gratiæ, quas proinde utpote Chorum Deæ sequentes, eidem subjungimus. Tres sorores sunt,

15

sunt, triplicique brachiorum nexu se invicem amplectuntur, eodem modo, quo & aliis in Antiquitatum reliquiis prostant. Lucernam possidet D. Petrus Santi Bartoli.

- 43 AMOR, MARTIS. VICTOR:) Choro Veneris addimus Amorem victoriosum, qui exarmato Marte spolia refert, Scutum videlicet & Thoracem, ex iisdem sibi Tropæum erecturus. Hanc in rem Lucretius ad Venerem:

*Nam Tu sola potes tranquillâ pace juvare
Mortales, quoniam belli fera munera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpè tuum se
Rejicit, æterno devictus vulnere amoris.*

Lucernam habet D. Petrus Santi Bartoli.

- 44 AMOR CUM PAVONE ET LEPORE:) Cum Lepore Veneris, Amor portat Pavonem Junonis, ac si etiam de hac Dea triumpharet. Lusus ingenii est, jocosus planè. Lucerna est D. Petri Santi Bartoli.

- 45 SALUS, AUT HYGEIA:) Fœmina paterâ cibum porrigens Serpenti, usitatum est Deæ Salutis symbolum. Ad rem facit Virgilius de Ænea, ad tumulum Anchisæ sacrificante:

*Ille agmine longo
Tandem inter pateras & levia pocula Serpens,
Libavitque dapes.*

Lucerna asservatur apud D. Laurentium Grimaldi, cujus excellens eruditio dotibus reliquis juncta, Possessori non parvam in aula Romana æstimationem conciliarunt.

- 46 FORTUNA:) Fortunæ simulacro, quod affundere necesse sit, non habemus. Manu altera Temonem gerit, symbolum regiminis, ab iis ei adscripti, quibus Dea putabatur, quasi divitias hominibus donaret: quæ proinde ratio est, quod altera manu Cornucopiæ teneat, abundantiae & felicitatis symbolum. Ut ut autem talis in sepulchrali hac Lucerna depicta sit, in futura tamen vita ne minimam quidem potestatem habet, aut donandi aut auferendi divitias, omnibus tam divitibus & potentibus, quam pauperibus & mendicis æquali, & eadem planè victuris conditione. Inde Propertius:

*Lydus Dulychio nil distat Cræsus ab Iro
Consule cum Mario capte Jugurtha sedes.*



LUCERNARUM
ANTIQUARUM SEPULCHRALIUM
ET
ICONICARUM
PARS TERTIA,

Continens

Varia Symbola & Emblemata, simul cum
Lucernis Sacris Veterum Christia-
norum.


CATALOGUS SCULPTURARUM

PARTIS III.

1. *Victoria cum Tropæo.*
2. *Victoria & Inferiæ.*
3. *Victoria cum Palma & Laurea, globo insistens.*
4. *Victoria cum Clypeo Votivo: OB CIVIS SER.*
5. *Victoria cum Clypeo ANNO NOVO inscripto.*
6. *Victoria Taurum sacrificans.*
7. *Amazon vulnerata.*
8. *Amazon vulnerata.*
9. *Hector raptatus.*
10. *Æneas Anchisen portans.*
11. *Ulysses Malo alligatus.*
12. *Portus Alexandrinus.*
13. *Heros.*
14. *Larvæ Scenicæ.*
15. *Corona Laurea cum Larvæ.*
16. *Modius frumenti.*
17. *Circumforaneus.*
18. *Silenus.*
19. *Larva.*
20. *Vulcanus.*
21. *Vulcanus, aut si mavis, Hyems.*
22. *S.S. Nomen Christi.*
23. *S.S. Nomen Christi.*
24. *S.S. Monogramma Christi. A. Ω.*
25. *Lucerna Christianorum cum Grypho.*
26. *Columba.*
27. *S. Petrus.*

28. *Pastor bonus.*
29. *Pastor bonus cum diversis symbolis.*
30. *Fonas sub Cucurbita.*
31. *Navicula S. Petri.*
32. *Candelabrum Hebræorum.*
33. *Lucerna Hebræorum cum septem Lychnuchis.*
34. *Urna.*
35. *Lucerna bilychnis Oceanum referens.*
























ΑΟΥΚΙΔΙ




































NONI ATTICI
VC ET IN LV
TRIS.



















DOMINVS · LEGEM
DAT · VALERIO SEVERO
EVTROPI VIVAS ·



















I


OBSERVATIONUM,
IN
LUCERNAS VETERUM
SEPULCHRALES ICONICAS,
PARS TERTIA;

Continens

Varia Symbola & Emblemata,

Cum

Lucernis sacris Christianorum.

- I  VICTORIA CUM TROPÆO:) Non tantum arma in bellis usitata sepulchrorum sculpturis miscebantur, sed & inimicis rapta, formâ Trophæorum cum Victoriis & Coronis. Ita Æneas apud Virgilium Tumulo suorum, quos in prælio amiserat, Tropæum addidit ex spoliis Mezentii:

*Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuvias.*

- 2 VICTORIA ET INFERIÆ:) Hac in Lucerna Victoria cum Tropæo iteratur, adjunctæque sunt Inferiæ & sacrificia funebria, cum duobus Pocillatoribus, ex cornu liquorem fundentibus, quorum imagines jam suprâ descripsimus. Aræ fertis ornatae impositus est Clypeus Votivus, & Laureâ coronatus, in cujus medio Votum scribebatur. Lucernam possidet D. Petrus Santi Bartoli.

- 3 VICTORIA CUM PALMA ET LAUREA GLOBO INSI-
STENS:) Similem Victoriam cernimus in Numismate quodam Augusti, ibique significat Imperium Orbis Terrarum victoriis & armis acquisitum. Rationem tamen adhuc diversissimam reddit Apulejus in descriptione domus Byrrhenæ, in qua Victorias quatuor, totidem Columnis sublimes, quatuor Globis memorat insistere, *ad designandam inconstantis hujus Deæ volubilitatem, apertis simul & ad volatum & ad fugam alis.* Cum coronis & tæniis occurrunt Victoriæ in Pyramide Caji Cestii, in sepulcro Nasoniorum, & aliorum frequentissime. Lucerna cum Bellorianis Berolinum translata, hodie *inter Regio-Elect. Brandenb. asservatur.*

4 VICTORIA *cum Clypeo Votivo*: OB CIVIS SER. *inscripto*.) Similes Victoriæ, cum Clypeo eademque inscriptione, in Nummis Imperatorum raræ non sunt. Clypei videlicet à Senatu Populoque Romano suspendebantur in Capitolio & Templis, ob meritum quoddam in Rempublicam, quale & in proposito legitur. Eoque honore præcipuè afficiebantur Milites, qui Civem, aut unum aut plures, in bello servassent, aut manibus hostium eripientes, aut à cæde vindicantes, insigni utrinque cum fortitudinis demonstratione. CIVIS autem legitur pro CIVES, qualiter sæpius in Nummis Augusti sub Triumviris monetalibus, literâ I longâ pro litera E substitutâ. Lucerna est Illustrissimæ Marchionissæ Dominae Octaviæ Renzi Strozzi.

5 VICTORIA *cum Clypeo ANNO NOVO inscripto*.) De *Anni Novi auspiciis* vulgavimus Dissertatiunculam, occasione Numismatis maximi moduli Antonini Pii, in quo literis singularibus, integrorum vocabulorum initialibus, signatum est Votum felicitatis, quò Senatus Populusque Romanus Imperatorem Calendis Januariis, aut si mavis, Anno Novo Imperii salutavit. Ita legebatur: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI PIO, *Senatus Populusque Romanus Annum Novum, Faustum, Felicem, Optimo Principi Pio.* Hæc Numismatis interpretatio firmatur Lucernâ propositâ; nam in Clypeo, quem Victoria præfert, aperte legitur ANNO NOVO FAUSTUM FEL. licet literæ sequentes discerni non possint. Accedit caput Jani hac in Lucerna Numismati impressum, ad indicandam fortasse strenuam, principio anni donari solitam. A Jano autem dependet Glans, symbolum primi alimenti, post quod Janus usum monetarum, aliarumque vitæ humanæ rerum necessariarum memoratur docuisse. Eodem felicitatis votò, in alio nummo, licet admodum parvo, cernitur Victoria, & in alio sunt Dextræ junctæ cum Caduceo. Sunt & alia symbola, quæ, upote obscuriora, hîc transmittimus. Forsitan tamen sunt Fulmen Jovis, & Nux Pineæ Cybeles. Cùm autem Lucerna hæc adeò curiosa sit, restat considerandum, quâ ratione ab auspiciis felicitatis & vitæ, sepulchris & commercio mortuorum sit illata? Sciendum enim, ex ruinis sepulchralibus Viæ Latinæ, tribus retrò annis, fuisse extractam, indeque Cimeliis D. Commendatoris Caroli Antonii del Pozzo accessisse. Nescio an satis facturus sim, si eam Antiquorum, de statu animarum post mortem, opinionem in medium adferam, quâ eas depositis terrenis & mortalibus exuviis, novos rursus annos credebant vivere, ut mors proinde iis nihil fuerit ac transitus ad alium mundum, huic nostro similem, ubi novus Sol & nova Sidera splenderent, nova Terra & nova Elementa essent, temporum.

rumque vicissitudines & anni, quales hîc ad conservationem humanam: qua ratione etiam defunctis suis Novum Annum videri possint apprecati fuisse. Opinionem hanc insinuat Plato in Critone, & Virgilius in descriptione Campi Elysii:

*Devenère locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hîc campos Æther, & Lumine vestit
Purpureo, Solemque suum, sua sidera norunt.*

Et Claudianus in persona Plutonis Proserpinam à se raptam, & in infernum deportatam, iis promissis consolantis, quòd habitura sit & dies pulchriores & mundum meliorem; Ita enim inter alia fatur:

*Amissum ne crede diem. Sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii, lumenque videbis
Purius, Elysiosque magis mirabere campos,
Cultoresque Pios; Illic pretiosior ætas,
Aurea progenies habitat.*

6 VICTORIA TAURUM *sacrificans*:) Quidam sacrificium hoc Deo Mithræ adjudicârunt; sed melius refertur ad Victoriâ, firmante opinionem Numismate aureo Augusti, ARMENIA CAPTA inscripto. In Museo nostro (*hodie Regio-Elect. Brandenb.*) asservantur duæ pulcherrimæ tegulæ antiquæ, cum eodem Victoriæ, Taurum prostratum genu prementis, alterâque ejusdem cornua tenentis, alterâ cum ferro ferituræ simulacro, ante quam Ara, formâ Tripodis visitur. Lucerna hæc asservatur apud Marchionissam Dominam Octaviâ Renzi Strozzi.

7 AMAZON VULNERATA:) Venustissimum hoc monumentum Amazonem nobis adumbrat, vulnere mortifero fauciam, & inter brachia juvenis, eam comprehendentis, cadentem. Plutarchus in vita Demosthenis, enarrando bella Philippi & Græcorum, mentionem facit prælii sanguinolenti ad Chæronæam & ad flumen Thermodontem, prædicti ab Oraculo, additque ex autoritate Duridis, Thermodontem non fuisse flumen, sed statuam eo nomine Hominis, qui brachiis suis Amazonem vulneratam portaverit, inventam cum inscriptione, dum fundamentum Tentorii foderetur. Plutarchi verba hæc sunt: *Duridis, hunc Thermodontem, notat, non fuisse amnem, sed quosdam, cum ibi terram foderent ad tentorium figendum, humanum simulacrum ex lapide haud magnum invenisse, cui literæ inscriptæ significarent, Thermodontis esse hanc statuam, qui fauciam Amazonem ulnis comprehensam ferret.* Ex hoc loco celeberr. Petrus

Petitus, in eruditissima dissertatione sua *de Amazonibus*, illustrat sensum & imagines propositæ Lucernæ, effictam judicans in memoriam Thermodontis & prælii Amazonum: fortasse quòd esset cujusdam loci incolæ symbolum. Inter arma cernitur Clypeus Amazonius, quem *Peltam* vocabant: Item Securis aut Bipennis, iisdem Amazonibus in bellis usitata: tandem & Cassis, & Arcus, & Equus, quòd ex Equis Amazones hostes suos sagittis impeterent. Lucernam exhibuit etiam Licetus, cui delineandam concessit D. Commendator Cassianus dal Pozzo. Ad idem prototypon etiam proposita desumpta est.

- 8 AMAZON VULNERATA:) Hæc Lucerna ejusdem ferè cum præcedente argumenti est. Eadem Amazon faucia non quidem à juvene, sed ab alia Amazone portatur: radiatque, in Amazone duplicata, licet diversitas formæ, tamen similitudo venustatis. Lucerna olim in Museo Bellorii servabatur, qui tamen, cum hæc commentaretur, non amplius nisi delineatam possedit.
- 9 HECTOR RAPTATUS:) Hæc Lucernâ adumbrari videtur Hector, qualiter velocibus Equis circum Trojæ muros raptatus est: Achillesque, qualiter hasta ad portam Scæam pugnavit, unde Trojanus quidem eum repellit, quod cum descriptione Homeri non convenit. Monumentum hoc fortassis Græci alicujus fuerit, Achillis fortitudine gloriantis. Exstitit apud J. Petrum Bellorium, hodie *inter Regio-Elect. Brandenb. asservatur.*
- 10 ÆNEAS ANCHISEN *portans*:) Hòc modò Ilienses Æneam, Anchisen incendio efferentem, pro symbolo habuisse, patet ex Numismate eorum argenteo, in honorem Julii Cæsaris percusso; nam in eo idem Æneæ Anchisen gestantis typus visitur, idque ad descriptionem Virgilii, quam & ad propositum attuleris, in quò præterea Trojanorum habitus scitissimè expressus est. Lucerna asservatur apud D. Petrum Santi Bartoli.
- 11 ULYSSES MALO *alligatus*:) Id intelligimus ex Ulyssis erroribus; nam in Lucerna cernitur malo alligatus, qualiter à mortifero Sirenarum cantu se conservasse, Homero canitur. Symbolum fortasse credideris Ithacensis cujusdam, more usitato, quò titulos & imagines Heroum suorum suæ gloriæ Civitates apponebant. Lucerna est in Museo Domini Canonici Raphaelis Fabretti.
- 12 PORTUS ALEXANDRINUS:) Hæc Lucerna videtur exhibere Pharum Alexandrinum, cum una navi, quæ portum petit, nautis jam vela colligentibus. Fortasse posita fuerit in sepulcro cujusdam Alexandrini; nam hanc rationem etiam ad præcedentes attulimus, defici-

deficiente argumento magis proprio. Lucerna est in Museo D. Petri Santi Bartoli.

13 HEROS:) Pulchra hæc figura, licet nuda, & non nisi casside tecta, spoliisque feræ cujusdam in morem chlamydis ornata, dextraque ensẽm falcatum aut Harpen præferens, Heroẽm videtur adumbrare: Dicerem Perseum, si in altera ejus manu, quam elevat, caput Medusæ cerneretur. Lucerna reperta est in sepulcris Villæ Corfini, & asservatur apud Dominum Santi Civili, qui delineandam nobis humanissimè concessit.

14 LARVÆ SCENICÆ:) Non desunt sepulcris Larvæ scenicæ: Non Histriones, & Tragici, & Comici, Theatrum videlicet mortalis hujus vitæ egressi. In proposita Lucerna Larvæ variæ sunt, servantque memoriam alicujus Poëtæ, aut actoris Comici. Eam possidet D. Petrus Santi Bartoli.

15 CORONA LAUREA CUM LARVA:) Licet Laurus immortalis, sit pretium Poëseos, & honor Poëtarum, hîc tamen eam cernimus ut Tropæum Mortis simul cum Corona. Talis fanè propositam Lucernam exornat, procul dubio parta in certamine quodam Ludorum solenni; nam in his certabant poëmatibus, vincebantque ii, quibus Musæ faventiores judicabantur exstitisse. Honores ejusmodi notabantur in sepulchris, expressis præmiorum titulis & coronis. Persona aut Larva symbolum Poëseos & Scenæ Comicæ est. Lucernam possidet D. Petrus Santi Bartoli.

16 MODIUS FRUMENTI:) Modius cum manipulis spicarum frumenti, symbolum est Præfecti cujusdam Annonæ, uti videri potest in versibus Fortunæ sacratæ, scriptisque in basi statuæ T. Cæsii, primi Annonæ Præfecti, quæ adhuc cernitur in Pelestrina, in qua basi supra inscriptionem sculpti sunt quatuor modii cum frumenti spicis. Lucerna est D. Petri Santi Bartoli.

17 CIRCUMFORANEUS:) Adjungamus hîc circumforaneum, qui Ludos instituit cum Simiis & Canibus, qualiter in foris & nundinis demulcendo populo Ludiones solent. Lucernam hanc jam à Liceto vulgatam, delineavimus ad exemplar prototypon, quod in Bibliotheca D. Commendatoris dal Pozzo asservatur.

18 SILENUS:) Proposita Lucerna, ob figuram Capitis hederâ coronati, verisimiliter tribuitur Sileno, aut si mavis, alii cuidam ex Choro furioforum Bacchico. Hoc tamen non obstante, fuit qui ob aspectum formidabilem, Larvam aut Lemurem agnovit, quales circum sepulcra errare & appropinquantes terrere credebantur. De his videtur intelligendus Plautus in Amphitruone quando ait:

Larva umbratilis sum, Tu me minis territas.

- 19 LARVA:) Lucerna hæc, deformi capite insignita, ejusdem planè argumenti est cum præcedente.
- 20 VULCANUS:) Hæc Lucerna pensilis & ærea juvenem sedentem exhibet, qui truncum Palmæ loco Ellychnii apprehendit, & flammam spiritu excitaturus flat. Licetus, in libro *de Lucernis*, aliam producit formâ Conchæ, cui similis juvenis, & nudus & galeatus infidet, agitaturque follem ad excitandum Ellychnii ignem, additaque sunt & instrumenta, forceps & malleus. Eam figuram Licetus Vulcano adjudicavit, nobisque simul ansam dedit considerandi, annon proposita conveniat Laribus, qui cum Vulcano adorabantur? hoc est, cum igne, hòc modò ex cineribus & parvis favillis excitato? Lucerna exstat apud D. Petrum Santi Bartoli.
- 21 VULCANUS, *aut si mavis*, HYEMS:) Interpretatio Lucernæ præcedentis fervire etiam poterit propositæ; Quid enim aliud hic senex pallio suo involutus, habitu accendentis & excitantis Ellychnii flammam? Delineatio hujus Lucernæ asservatur in Bibliotheca D. Commendatoris Caroli Antonii dal Pozzo.

LUCERNÆ SACRÆ CHRISTIANORUM.

- 22 SACRO-SANCTUM NOMEN CHRISTI:) Antiqui fideles ponebant mortuis suis & ipsi in sepulcris Lucernas, idque ex usu Gentilium, quorum ritus superstitiosos cultui sacro & religioso apponebant. Hinc multas Lucernas salutari caractere & hieroglyphico Nominis Christi cernimus insignitas; duabus id Græcorum literis XP absolvebatur, quæ conjunctæ divinum Monogramma ✕ five CHRISTUS constituebant, quod aliqui minus benè PRO CHRISTO interpretantur. Tali caractere ex cœlesti visione primus in scutis, galeis & vexillis militum, post victoriam contra Maxentium, usus fertur Constantinus: de qua re videri poterit Baronius in Annalibus, & Bosius in Roma subterranea. Lucerna cernitur apud D. Petrum Santi Bartoli. In margine circumdatur duobus Palmæ ramis, usitatissimo Martyrii symbolo.
- 23 SACRO-SANCTUM NOMEN CHRISTI:) Majore mysterio occurrit in hac Lucerna idem nomen Christi, manubrio incisum, pietatis & sanctitatis primorum Christianorum non vile documentum. Sacrosanctum hoc nomen circumdatum est Coronâ ex palmitibus & uvis plexa, eoque alludit & ipsa ad Christum, cujus verba apud Evangelistam Johannem talia sunt: *Ego, inquit, sum Vitis vera, & Pater meus est Agricola. Omnem Palmitem in me, non ferentem fructum,*

Etum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructuum plus afferat. Ita Christus se ipsum Vitem vocat, Palmites autem intelligit Fideles; Quam in rem meditamur cum St. Basilio: *Debemus rationem ejus contemplari, qua Dominus sese Vitem, & Patrem Agricolam, sive Vinitorem dixit, nosque singulos in piorum conventu, per Deum sotos, Palmites appellavit.* Hinc nos ad uberrimi fructus feracitatem invitat, ne ut inutiles atque superflui ludibrio simus, & à fecundarum palmitum consortio recisi amputatique igni destinemur. Auctor verò noster nunquam cessat animas nostras vitibus comparare. Sed profundior est sensus Vitis & Vini mysticus, in verbis Prophetici Jacobi de filio Juda, quæ Sancti Patres de Persona & Sacramento Christi intelligunt. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum:* Intelligendo symbolicè Passionem Servatoris in sanguine uvæ, & sub nomine *Stolæ & Pallii* sacratissimum ejusdem corpus, sanguine aspersum. Lucerna ærea est, Bellorii nuper, hodie cum reliquis Bellorianis *inter Regio-Elect. Brandenb. fulget.*

24 SACRO-SANCTUM MONOGRAMMA CHRISTI. A Ω.) Penfilis hæc Lucerna, & nomine defuncti NONI ATTICI. VC. ET INLUSTRIS nobilitatur, & pretium sibi conciliat duabus literis Græcis, Sacro-sancto Nomini Christi additis, A videlicet & Ω, quibus *principium & finis* designatur, secundum effatum Christi ipsius, capite Apocalypseos primo: *Ego sum Principium & Finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, Omnipotens:* Quæ verba Divinæ Christi essentiae ad amussim conveniunt. Ita Plato ex sententia Antiquorum, in septimo Legum, affirmat, Deum in se ipso rerum omnium principium, finem, & media continere. *Deus, O Viri, sicut antiquus sermo testatur, principium, finem, & media rerum omnium continet.* Lucerna Joh. Petri Bellorii fuit, hodie *inter Regio-Elect. Brandenb. asservatur.*

25 LUCERNA CHRISTIANORUM CUM GRYPHO:) Hæc utroque in latere, salutiferum Monogramma Nominis Christi impressum habet. Manubrium, caput collumque Gryphi refert, capitique impositum est vel idem Monogramma, vel certè Crux; neque enim, cum in vertice ruptum sit, certi quid determines. Gryphus apud Gentiles symbolum Solis fuit, ut supra diximus, sed in propofita Lucerna Pietatis Christianæ indicium est, symbolum videlicet veri Solis animarum Jesu Christi. Lucerna Penfilis est, & ærea. Cum Bellorianis tranfiit *in Gazam Regio-Elect. Brandenb. ibidemque asservatur.*

26 COLUMBA:) Venerando hac in Lucerna Nominis Christi Monogrammati infidet Columba, jam à tempore Ecclesiæ primitivæ, &

& ex consensu sanctorum Patrum, receptus typus & symbolum Spiritus Sancti, qui Columbæ sub forma apparuit, cujusque similitudine Arcam intravit: *In imaginem Sancti Spiritus Ales intravit*, inquit Sanctus Paulus. Sed est & symbolum Ecclesiæ, & Apostolis & Fidelibus, respectu Simplicitatis, Charitatis, & Innocentiæ: unde antiqui Christiani Columbam sculpere & pingere solebant, in sepulcris, Lucernis, aliisque ejusmodi monumentis; in Gemmis item Annularibus & Bullis, eam amuleti loco portantes. Ita inter Cimelia nostra parvam fibulam puerilem asservamus, in formam Columbæ laboratam, inventamque in sacris Cœmiteriis inter ossa cujusdam infantis. Plures ejusmodi Lucernæ passim occurrunt. Proposita olim in celebri Museo Francisci Angeloni asservabatur.

27 SANCTUS PETRUS:) Inter monumenta sacra, inventa in specubus sanctorum Martyrum, pretiosum est propositum Sigillum æreum. Principem enim Apostolorum Sanctum Petrum refert, id quod ex aliis ejusdem imaginibus indubium est. Habitus Apostolicus est, figura palliata, alterâ manu benedicens instar elatâ, alterâ gestans divinum Nominis Christi Monogramma, cujus manubrium in formam crucis producit. Sanctus hic, in Majestatem compositus, non obscure innuit, se gloriari, quòd adorandum Nomen Gentibus portet, cujus in virtute etiam miracula faciebat & baptizabat. Ita ad Portam Templi, in Nomine Domini restituit claudum à natiuitate, uti legitur in Actis. *In Nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Nomen hoc & hominibus & angelis venerandum est, continetque nostram Salutem, uti Sanctus Apostolus respondit Sacerdotibus & Principibus Hebræorum, qui id abominabantur: *Non enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quæ virtus in Sanctum Petrum & alios Apostolos se diffundebat, qui proinde in Nomine Christi miracula sua faciebant, & ut dictum, baptizabant; Ita enim in iisdem Actis de Sancto Philippo: *Cum verò credidissent Philippo, evangelizanti de Regno Dei, in Nomine Jesu Christi baptizabantur viri & mulieres.* Insigne hoc Sigillum nuper translatum cum Belloriano Musco, *hodie Regis Prussiæ Gazam exornat*, hic inter alia sacra monumenta meritò repositum.

28 PASTOR Bonus:) *Ego sum Pastor bonus; bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Ita Christus apud Sanctum Johannem cap. 10. Frequens apud primævos Christianos fuit simulacrum Christi sub imagine & habitu Pastoris boni, ovem ad ovile reportantis. Præcipue autem in sacris Calicibus id sculpebant, ut scribunt Tertullianus & Baronius, admonendis videlicet sacerdotibus, Divinum illum Pastorem eos suis Cordibus imprimere debere. Allatis Christi
verbis

verbis conveniunt & illa apud Sanctum Lucam, figuram simul propositam mirificè illustrantia. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec invenerit eam? Et cum invenerit, eam imponit in humeros suos gaudens?* In proposita Lucerna Christus habitu Apostolico cernitur, Ovemque humeris impositam gestat, tanquam symbolum Gregis Christiani. Lucerna inventa est in Cœmiterio Callisti. Possidet eam Dominus Franciscus Ciccii.

29 PASTOR BONUS CUM DIVERSIS SYMBOLIS:) Antecedens imago Christum habitu palliato, ovemque humeris portantis ostendit. Hic eundem cernimus habitu Pastorio, tunica succincta, lacernaque pectori fibula affixa, caligis pedum reticulatis ornatum, eoque modò aberrantem Oviculam ad ovile reportantem. Ad pedes ejus visuntur aliæ Oves septem, gregis ejusdem, ad Pastorem respicientes, sub quibus Fideles Christi intelliguntur, Ovium more simplices & innocentes. Numerus Septenarius in sacris mysterio non caret, continet enim in se perfectionem. Ab altero Boni Pastoris latere, Arca Noë sculpta est, secundum sanctos Patres symbolum Ecclesiæ, eique insistit Columba, ea videlicet, quam Noha legitur emisisse, ut indicium decrepescens Diluvii reportaret, quæ tamen etiam ad Spiritum sanctum referri potest, ex mente sancti Hieronymi contra Luciferianos: *Emittitur, inquit, de Arca Corvus, & non rediit: Postea pacem terræ Columba nunciat; Ita & in Baptismate Ecclesiæ, teterrimo alite expulso, id est Diabolo, pacem terræ nostræ Columba Spiritus sancti nunciat.* Sub arca cernitur Jonas ex ventre Balenæ egrediens, postquam tres in eo noctes latitasset, symbolum videlicet Sepulcri & Resurrectionis Redemptoris nostri, unde sanctus Matthæus: *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ; Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius Hominis in corde terræ tribus diebus ac tribus noctibus.* Ab altero latere Pastoris idem Jonas expressus est, sub umbra Cucurbitæ quiescens, dependentibus à trunco, & frondibus & fructibus, estque symbolum Quietis Domini post mortem & passionem. *Præparavit Dominus Hederam, & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum, laboraverat enim.* Hederam legit sanctus Hieronymus pro Cucurbitam. Inde videmus, Lectionem hanc controversiâ non carere. In summitate resplendent Sol & Luna cum mediis septem Stellis, quæ ad septem illas Apocalypseos respicere possunt: *Et habebant in dextra sua stellas septem, Lumina videlicet Ecclesiæ.* Sol & Luna ab antiquis sæpiissime depicti fuerunt, ut symbola æternitatis, ex interpretatione Hori Apollinis, id quod supra etiam in nostris

Lucernis vidimus. Altera Columba, quæ sub Luna cernitur, significare poterit Innocentiam, Puritatem, Simplicitatem, & Concordiam, aliasque Virtutes Christianas defuncti, quarum Columba symbolum est, uti videri potest in aureo libello Hieronymi Aleandri: *Navis Ecclesiam referentis symbolum.* Lucerna fuit J. Petri Bellorii, *nunc in Thesauro Regio-Elect. Brandenburgico servatur.*

30 JONAS SUB CUCURBITA:) Ex aliis Mysteriis Lucernæ præcedentis, recurrit in proposita Jonas nudus, post labores sub Cucurbita quiescens. Hunc diligenter & distincte, suæque in magnitudine delineari curavimus, ut omne dubium tollatur iis, qui nuditate decepti Venerem crediderunt, habitu lascivo jacentem. Hi sane non intellexerunt Salutiferum Nominis Christi Monogramma, quod intra rotam cernitur. Videri poterit Licetus. Lucerna pensilis & ærea est, aliisque impressis haud dissimilis. Picturam ejus possidet D. Petrus Santi Bartoli.

31 NAVICULA SANCTI PETRI:) Hac in Lucerna, mystica Sancti Petri Navis adumbratur, quæ alia non est, ac sancta Ecclesia à Christo instituta. In summitate Mali legitur Titulus Valerii Severi, cujus Lucerna erat: DOMINUS LEGEM DAT VALERIO SEVERO; Sed horum verborum diversæ sunt interpretationes. Mihi ea placet, quæ Severum relictâ Gentilium superstitione à Domino novam legem arbitratur accepisse, eam videlicet, quæ ab eodem etiam fuerit data Ecclesiæ, ut proinde erroribus abjectis, Christus eum in recto navigationis cursu videatur dirigere. Hoc sensu intelligi possunt verba Davidis Psalmo 24. *Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via*, non tantum videlicet de peccatoribus ea sumendo, sed etiam de aliis, qui à recta via Evangelii aberrant. Sed restant considerandæ duæ intra navim figuræ, habitu Apostolico ornatae. Quidam crediderunt, posteriorem illam, ad Temonem sedentem, esse Sanctum Petrum, opinionemque suam fulciebant autoritate Bonaventuræ, Sermone I. in Dom. 4. Pentecos. *Navis Simonis, est Ecclesia Simoni commissa.* Hæc ratione altera figura in navis prora, corpore erecto, Christus erit, in mari naufragæ hujus vitæ errantibus prædicans. Hoc utut se habeat, aliis tamen Temonis regimen melius videtur aptari Christo, quod is navim Petri sibi elegisset, Mosis contra deseruisset. *Petri Navim eligit, Mosis deserit: hoc est, spernit synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam*, dixit sanctus Ambrosius Serm. X. de Christo locutus. Non debet omitti Erudita interpretatio Domini Michaelis Causei, de hac Lucerna, in Museo suo Romano, Thesauro Antiquitatis pretiosissimo, aliud sentientis. Considerans scilicet verba Titulo adjecta: EUTROPI VIVAS,

VIVAS, quâ formula morientes, charissimos sibi amicos aut cognatos alloqui solebant, arbitratur, Valerium Severum religioni Christianæ imbutum, constanti animo recepisse mortem, tanquam legem sibi à Domino impositam, indeque & Eutropio vitam longiorem precatum esse: *Mortem tanquam animo exspectans, longiorem Eutropio vitam optat.* Insignis hæc Lucerna ex ruinis Montis Celii, vinea Domini Morellii, juxta sanctum Stephanum Rotundum, extracta est, ubi etiam Statuæ & Marmora Imperii adhuc florentis inventa sunt. Morabatur eò tempore Romæ Cardinalis Leopoldus Medices, qui Lucernam, simul cum aliis rarioribus veteris sculpturæ ornamentis, secum Florentiam transtulit.

Restant duæ adhuc Lucernæ Hebraicæ, quæ hic reponuntur ad operis complementum.

32 CANDELABRUM HEBRÆORUM:) Candelabrum Gentis Hebrææ proprium est insigne; nam id pingebant in Synagogis, in Scholis, imò & in monumentis defunctorum. Ea certè de causa etiam Lucernis id imprimebant, in sepulcris ad imitationem gentilium accensis; Duratque apud eos adhuc hodie consuetudo, per septem dies Lucernam aut lampadem ponendi ad caput mortui, post ejus sepulturam. In hac Lucerna Candelabrum cum septem Luminibus cernimus, quæ mandato Domini respondent, à Mose in Exodo memorato, *Facies & Lucernas septem & pones super candelabrum.*

33 LUCERNA HEBRÆORUM CUM SEPTEM LYCHNUCHIS:) Hæc Lucerna fictilis & rotunda, septem in circuitu Lychnuchis cingitur, alluditque ad septem Lumina Candelabri. In medio manubriolum est, quò suspendi possit. Inventa est in veteri Coemiterio, aut Campo Hebræorum, ad Portam Portuensem. Cum Bellorianis Berolinum translata, inter Regio-Electorales Brandenburgicas asservatur.

Hactenus Bellorianæ Observationes. In Sculpturis autem adjectæ adhuc sunt,

34 URNA, de qua hunc in sensum Sculptor commentatus est: *Inter multa, inquit, & erudita monumenta, eruta diligentia & Genio Domini Bernardini Peroni, ad Cibellariam, districtum Viterbiensem, in quo indies antiquissima sepulchra Hetrusca deteguntur, etiam propositum vasculum ex metallo flavo inventum est, admirandæ integritatis, artificiique excellentis, id quod vel ex affictis ab altera parte Larva scenica, ab altera Capite Leonis patet, quibus nihil perfectius cogitari potest.*

Intra Vasculum hoc Ossa combusta servabantur, exterior autem planities Telâ ex auro subtilissimâ, & sub hac Aliâ adhuc ex Asbesto aut Amianto erat inducta, id quod inter æruginem metalli, quæ passim Vasculum invaserat, satis clarè distinguebatur. Hodie in Secretaria Communitatis Viterbiensis asservatur, altitudine palmarum . . . & unciarum . . .

- 35 LUCERNA BYLICHNIS OCEANUM REFERENS:) Huic Lucernæ nulla omninò interpretatio adjecta est. Me judice Oceanum præsentat, id quod ex Delphinis, qui utrinque à barba descendunt, & ex Monstris Marinis, Equis & Leonibus, patet: quæ, qualia etiam in aliis Antiquitatum monumentis occurrunt, hîc utrinque afficta cernimus. Si Bellorii hypothese sequaris, interpretationem habebis supra, Parte prima, Num. 4. ubi & citatum Orphei testimonium De Oceano nescio annon ex asse satisfacturum fit.

F I N I S.

MONITUM

ad

BIBLIOPEGOS.

Cùm diversæ sint hujus Libri partes, earumque series nullis indicibus notata sit, adjiciendum censuimus ordinem Bibliopegis in ligando servandum. Is talis est:

1. Tituli generales cum Dedicatione & Præfatione.
2. Titulus specialis & Catalogus Sculpturarum Partis Primæ.
3. Sculpturæ Partis Primæ numerò 37.
4. Observationes in Partem Primam.
5. Titulus specialis & Catalogus Sculpturarum Partis Secundæ.
6. Sculpturæ Partis Secundæ numerò 46.
7. Observationes in Partem Secundam.
8. Titulus specialis & Catalogus Sculpturarum Partis Tertiæ.
9. Sculpturæ Partis Tertiæ numerò 35.
10. Observationes in Partem Tertiam.



ÆTERNO LUMINE PRÆLUCENTE!
ELUCUBRATIO
DE

LUCERNIS ANTIQVO-
RUM SUBTERRANEIS

IN LIPSIENSI LYCEO

D. XVIII. MAII. A. ÆR. CHRIST. M. DC. LXI.

PUBLICÆ LUCI, PLACIDÆQUE ERUDITORUM
LUSTRATIONI EXPOSITA

PRÆSIDE

M. JOACHIMO FELLERO CYGN.

P. L. CÆS.

RESPONDENTE

JOHANNES STOHRIUS, ABLASS-MISN.

PHIL. BACCAL.

ALUMNIS ELECTORALIBUS.

TYPIS HÆRED. COLERIANORUM.



INTROITUS.

CRyptas subterraneas subintramus, admirandas inibi
Lucernas lustraturi. Sed opaca heic omnia & tenebræ
plusquam Cimmeriæ. Quid ergo conamur nos um-
brulæ? Ingressum sanè dissuadere videntur tot lumina
Orbis Eruditioris, dum radiis ingeniorum, etiam maximè sub-
tilium, hanc noctem vix penetrabilem esse clamant. Ex iis vel
incomparabiles istos triumviros (a) *Gutherium*, (b) *Aresium*,
& (c) *Kircherum* nominasse sat fuerit. At ingredimur tamen, du-
ctum sequentes lucernarum, quæ nobis heic prælucent, & den-
sam illam caliginem discutiunt. Verum aliâ adhuc Lucernâ
opus est. Lampades olim ante sepulcrum Domini in Paschæ vi-
gilia ardentes divinitus accensas fuisse ex *Urspergensis* & *Malmes-
buriensis* (d) *Greiserus* refert. Idem nobis contingere optamus,
dum ingressum meditamur in antiquorum cœmeteria. Ipsius
inquam CHRISTI, qui lux verè perpetua est, & (e) Moyse
olim sub specie flammæ rubum incombustibiliter ardentis
apparuit, uti & flammæ illius cœlestis seu Pentecostalis benignis-
simam precamur affusionem; veteres Christianorum aliquo-
modo imitati, qui lucernis suis sacrosanctum CHRISTI nomen
signo suprâ præfixo, & Columbâ Spiritus S. Emblemata impressere,
prout exhibent eas æri affabrè incisas (f) *Anton. Bosius*, (g)
Fortun. Licetus, (h) *Joh. Baptista Casalius*.

A 2

CAP. I.

(a) *de Jure Manium* l. II. c. 32. (b) *ap. Licet*, l. V. de Lu-
cernis c. 1. f. 451. (c) *Oedip. Egyptiac.* Tom. III. Syntag. XX. c. III. f.
545. (d) *Tom. II. de S. Cruce* l. 2. p. 48, 49. (e) *Exod.* c. 3. (f) *in*
Roma subterranea, ab *Aringho* editâ Tom. II. l. IV. c. 7. f. 13. n. 3. & *Lib.*
VI. c. 23. f. 302. n. 10. (g) *de Lucern.* l. VI. f. 850. (h) *de Vet. sacr.*
Christianor. ritib. c. XXXII. f. 184.

CAP. I.

Lucernarum sepulcralium Origo. 1. *Ortae eae sunt in Aegypto.* 2. *primo in templis posita.* 3. *dein in sepulcris etiam.* 4. *Tralata hinc ad Græcos* 5. *& Romanos præprimis.* 6. *Ex hisce inventae sunt multae ardentes.* 7. *Credunt multi perpetuo eas lumine arsisse;* 8. *Ignis perpetuus Aegyptiorum, Persarum, Vestalium, ut & Hebraeorum sacer nutritus fuit,* 9. *imò & Romanorum.* 10. *De lucernis igitur inventis, quaestio est, num sine pabulo tamdiu luxerint?* 11. *Subjungitur dissertationis hujus methodus.*

¶ **I**N limine Cryptarum dum obhæremus, ad primos lucernarum natales respiciendum est, sed fugitivo saltem oculo. Nec spissæ hæc adeò, ut in ipsis Cryptis, sunt tenebræ. Uti enim omnium superstitionum fecundissima mater Aegyptus est, ita hanc & inde oriundam fuisse quis ambigat? (a) Equidem penes Chaldaeos ignem primitus fuisse cultum, vel ex hagiographis conjicere licet, in (b) Persia tamen & Aegypto pyrolatriam majora sumpsisse incrementa, atq; hinc ad alias aliasq; nationes transmigrasse certissimum est. † Et in Aegypto quidem, præterquam quod ignis cultus vel maximè ibi vigeat, certis insuper anni diebus Lucernarum Festum, (c) *Herodoto* teste, solenniter celebrabatur. Factum quippe, ut cum non uno numine contenta foret gens supersticiosissima, cuilibet Deorum in templis adytisq; lucernas constituerent, non alio ornatu, quàm quo ipsa Numinum simulacra effigiare aliàs consueverant. In fano enim (d) Anubidis lucerna canino capite, in delubro Osiridis accipitrino vultu, in Isis templo Isis lunari hemicyclo spectabilis erat posita. Haud secus in cæteris Deorum fanis lucernas adornaverant. † Unde clarè admodum elucet, eosdem Aegyptios sepulcralium quoq; Lucernarum primos inventores esse. Aft ne dubii quid obstet, nobis lucem hæc suam fœnoratur obscurioris

(a) *Genes. c. 11.* (b) *V. Brissou. de regno Persarum l. II. p. 163, 164. Edit in 4to. Olear. in Itinerar. Persic. part. II. f. 314. Dilherr. in disput. de usu lection. scriptor. secular.* (c) *in Euterpe, V. Kircher. Tom. III. syntag. XX. f. 535. & Licet. lib. IV. c. 4. f. 538. & lib. VI. c. XLVI. f. 848.* (d) *Kircher. l. c.*

scutioris cujusq; literaturæ illustrator (e) *Kircherus*, quando-
 quidem hodieq; in Ægypto lucernas variis hieroglyphicis or-
 natas numero non exiguo eruderari memorat ex *Vallæi*, *Bellonii*,
 & *Burratini*, quos exploratores rerum Ægyptiacarum appellat,
 testimonio. Non ergo obscurum amplius est, lucernas sub-
 terraneas primum quasi fomitem apud Ægyptios accepisse.
 De fine hic nihil dicimus, cum nostri non sit instituti. † Ex § 4.
 puteo autem hoc tanquam per canales ad alias gentes cultum
 ignis dimanasse notum est. Videatur (f) *Seldenus*, (g) *Vossius*,
 (h) *Edmund. Dickinson*, (i) *Dilherrus* (k) *Cluverius*, (l) *Bo-
 sius* & alii. At Græcos & Romanos Ægyptiacæ religionis (verius
 superstitionis) studiosissimas præ cæteris veluti simias fuisse, ab-
 undè patebit ex iis, quæ proximè ediffertabimus. Et quem fu-
 git, utrisq; ignem nunc Vestam, nunc Vulcanum fuisse? Nec
 nullæ in Græcia lucernæ. Auream in æde Minervæ (m) *Pau-
 sanias*, aliam in templo Delphico arsisse (n) *Plutarchus* autor
 est. Complures alias videmus admicantes, sed lubentes eas
 heic prætervidemus. Subterraneas Græcorum non unas (o)
Licetus sistit. † Nobis ocyter ex Græcia in Italiam transfretan- § 5.
 dum. Et sanè heic tot lucernæ sese exhibent, quot lucernis flam-
 micantibus cælum variegatum conspiciamus. Nam de Lucernis
 ut nihil dicam, quæ perenni olim in templis fomite fovebantur,
 Jovi sc. Veneri, Minervæ, aliisq; Numinibus destinata, eruta
 sunt hoc ipso seculo & prioribus per omnem Italiam & Romæ
 præsertim innumerabiles ferè ex antiquorum tumulis lucernæ,
 quæ quondam, tum ab Ethnicis, tum à priscis (p) Christianorum,
 ut inscriptiones docent, ibidem fuerunt posita. † Et quòd longè § 6.
 maximam meretur admirationem, quædam earum, quas
 Cap. II.

(e) l. c. f. 534. (f) de *Diis Syris Syntag. II. c. VII. p. 225. seqq.* (g)
de Idololat. lib. II. c. LXIV. p. 649. seqq. (h) in *Delph. phœnizizant.*
c. XI. p. 113. (i) de *Cacozelia Gent. c. XI. p. 170.* (k) de *German. antiq.*
l. I. c. 28, 29. (l) *Rom. subterr. l. I. c. XVIII. f. 58.* (m) in *Atticis*
p. 24. edit. græc. lat. Sylburgij in fol. (n) in *vita Numæ* (o) *Licet.*
l. I. de Lucer. c. XIX. & alibi. (p) *V. Bos. Rom. subterr. Tom. II.*
l. IV. c. VII. f. 13. Casalius de sac. Ritibus f. 184. Baron. Annal. Tom. I. A.
58. Qvensted de sepultura Veterum c. XIII.

- Cap. II. producemus, inventæ sunt flagrantæ à fossoribus. Mirum, quàm varia de hisce Eruditorum agitentur judicia, infra
- § 7. Cap. III. proferenda. † Sunt, qui Veteres magnum perpetui Luminis secretum calluisse firmissimè sibi inde persuadent. Eorum vexillifer meritò salutandus venit *Fortun. Licetus*, qui operoso & longè eruditissimo volumine sententiam isthanc statuminare totis, ut ipsemet fatetur, ingenii allaborat viribus. Nobis cum aliis non minorum gentium philosophis adversam tueri decretum est, Romanorum nimirum lucernas inextingvibili oleo non
- § 8. instructas fuisse, Romanorum, inquam. † Suus enim & Ægyptiis perpetuus ignis fuit, lucernæq; perpetuæ, sed dispar opidò ratio est. Cum namq; in Ægypto multa loca (q) bitumine & petroleo inexhaustæ multitudinis referta sint, canales ex illis puteis ad lucernas derivarunt sapientes, quæ continuo postmodum aliunde devecti liquoris fuctu (inditus enim erat lychnus asbestinus) fuere enutritæ. Sic (r) Persæ, Græci & gentes quæq; perpetuo igne gaudebant. At unde igni perpetuitas ista? non nisi ex incessabili nutritione viduarum vel virginum. Nec alius Vestalium ignis fuit, quicquid (s) *Licetus* contrà afferat. Argumento vel (t) extinctio ejus esse potest, quæ bellis Mithridatico & civili per incuriam custodum earundem contigit. Quid? quod sacer quoq; (u) Hebræorum ignis nutriendus à sacerdote fuit subjectis in dies singulos ex mandato divino lignis. Tantum nunc abest, ut Romanorum lucernas in cippis sepulcrorum perpetuis arsisse flammis credamus, ut potius nos parti
- § 9. negantium adjungamus. † Certe & eas studio humano curatas vel una evicerit (w) Mævia, à qua in suis testamenti tabulis cautum erat, ut servus & famulæ eà conditione libertate donarentur, si lucerna alternis mensibus accensâ monumentum ejusdem frequentarent & colerent. Idem apud Petronium legas. Sanè

(q) *Kircher. l. c. f. 548, 549. ex Schianguia Arabe.* (r) *V. Autores de cultu ignis amodò citati* (s) *lib. 1. c. 30. f. 38.* (t) *Plutarch. in Numa. Vid. & Porta Mag. Natural. lib. XII. c. XIII. p. 484.* (u) *Levit VI 12. 13. Vid. Dilherr. de Cacozel. Gent. p. 173. R bera de Templo lib. V. c. XVII. p. 374.* (vv) *L. Mæv. de manumiss. V. Gutker. de Jure Man. l. 2. c. 11.* & *Conring. de Calid. innat. p. 61.*

Sanè absq; fomento æternas olim aliquas arfisse, priscis monu- § 10.
mentis proditum nullibi est. † Verum enim verò ex eo, quod
ardentes nonnullæ fuerunt repertæ, omninò per multas anno-
rum centurias sine alimento easdem luxisse plurimis est persua-
sissimum. Nos iis, ut jam diximus, haud creduli sumus. † Ut § 11.
autem ad occultas veritatis Cryptas deveniamus, lubet primò
præcipuas lucernarum admirabilium producere. opiniones dein
diversorum pellustrare, & deniq; iis breviter, quæ parum plau-
sibilia videbuntur, confutatis, vero affiniorem sententiam, ut &
iudicia de lucernis productis subnectere.

C A P. II.

Exempla Lucernarũ admirabilium. 1. Obiter notatur
materia lucernarum, quæ ex metallis ferè omnibus. 2. ut & figura, & 3.
inscriptiones & lychni, quæ itidem varii. 4. Producitur deinde Lu-
cerna Pallantis. 5. Lucerna Tulliola 6. Lucerna Maximi Olybii.
7. Nesidea, Bononiensis, Romanæ, Coloniensis, 8. Antiochena. 9.
Francofurtana s. Bosiana.

IN ipsas lucernas introspicere volentibus nobis materies earum § 1.
& facies externa non supinè adeò prætereunda est. Sed foris
haud diu hærebimus, cum nihil id faciat ad scopum nostrum.
Ex omni autem ferè metallo lucernas olim constructas fuisse,
nihil prohibet, ne asserere queamus. Certè ex (a) ære (b) ar-
gento, (c) auro (d) terra, (e) Lemnia terra, alabastro &
marmore eas fabrefecere Veteres. Fictiles autem omnium fre-
quentissimæ fuerunt, qualium egregiam supellectilem in Museo
suo (f) *Aldrovandus* asservavit, & (g) *Aloysius Conradinus* Pan-
dectarum in Patavina explicator. Fictilem & (h) *Boxhornius*
exhibet, sed *Licetus* talium longè plurimas. † Figuras quod § 2.
spectat, earum tot sunt, quot in Orbe figuræ. (i) Oblongæ aliæ, aliæ
sphæricæ, aliæ triangulares sunt & quadrangulares, quippe ad arbi-
trium conditorum efformatæ. Sic equina, humana & avium capita,
sic

(a) *Licet. lib. III. f. 190, 202, 212, 213, 214.* (b) *Augustin. in ep.*
164. (c) *Pausan. in Atticis p. 24.* (d) *Aldrovand. Ornithol. lib. 1. f.*
78. (e) *Licet. lib. VI. f. 191.* (f) *Ornithol. l. 1. f. 73.* (g) *V. Licet. f. 190.*
(h) *Quest. Roman. quest. XI. p. 50,* (i) *V. Licet. toto libro VI.*

§. 3. sic Sirenes, Silenos, naves aliasq; figuras referre eas videas. † Variis etiam imaginibus lucernæ fuerunt insignitæ. Licet in iis Jovem fulminantem, Bacchum thyrsiferum, Vulcanum, Herculem, Lunam, Victoriâ, Amazones, bicipitem aquilam, Satyros, cervos, serpentes, palmas, Crucem, imò omnes Deos Deasqve, & religiosos quosq; ritus antiquorum depræhendere. Percurrat quæso vel transeunter *Licetum* benevolus Lector, & tot figuras lucernarum stupebit, scio, ridebit etiam. Circâ lychnos mirè quoq; variatum fuit, puta ad (k) Ægyptiorum exemplum. Erant enim his unius & plurium pro ratione Numinum, quæ colebant, ellychniorum lucernæ. Ita quatuor Elementorum præsidibus Diis *πτεράμυξες*, Planetis *ἐπταμύξες*, Zodiaci genîis *δωδεκάμυξες*, Soli lucernam tot lychnorum concinnabant, quot diebus annus constituitur. Non aliter à (l) Romanis factitatum. Documento sunt lucernæ ibi erutæ unius & plurium myxorum foramina ostendentes. Sed inspicundæ sunt intimius lucernæ, illæ maximè, quæ perpetuo fulsisse creduntur lumine.

§. 4. † Primò lucernam Pallantis intueamur. Illa tempore Henrici III. ab agricola quodam ad Tyberim ab urbe haud procul unâ cum prodigiosâ corporis Pallantini magnitudine reperta est, perpetuo (sic enim putant multi) igne à bis mille & amplius annis ardens, eademq; nec flatu, nec aquæ super affusione extinguî potuit, statim tamen extincta, simul ac nescio quo casu disruptus ejus fundus fuit. Illud autem corpus Pallantis Arcadis fuisse à Turno olim interfecti (m) *Volaterranus*, (n) *Martinus*, (o) *Boccatius* & alii memorant. Inscriptio fuit hæc talis: *Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni*

Militis occidit † mole sua jacet hic. † al. more suo.

§. 5. † Proximè lustranda venit lucernâ Tulliolarum Ciceronis filiarum, quæ sedente Paulo III. Pontif. Max. in via Appia Romæ inventa fuit. Inscripta feruntur hæc verba: TULLIOLÆ FILIÆ. MEÆ. Hæc à mille septingentis ferè annis perenni igne succensa creditur; flamma autem ejus vix dum comparuit, ecce ad aeris subeuntis ingres-

k) *Kircher. Tom. III. Oedip. Ægypt. Syntag. XX. c. II. f. 535. l) V. Licet. l. VI. m) lib. XXXIII. cap. de Cœli & terræ progenie f. m. CCCLII. n) in Chronic. l. 12. c. 67. o) de Deor. Geneal. l. 12. c. 60, & 67.*

ingressum disparuit. Ita (p) *Hermolaus Barbarus* tradit & (r) *Francis. Maturantius*, ex hisce (s) *Pancirollus*, (t) *Scardeonius*, (u) *Melch. Guilandinus*, (vv) *Casalius*, (x) *Joh. à Pfleumern* & alii. † Verùm Olybii Lucerna vel maximè admirabundos sola reddidit Eruditos. Circiter Annum fortè post C. N. M. D. juxtà Atesten municipium Patavinum, dum foderetur à rusticis terra altius solito, reperta est urna fictilis, & in eâ altera urnula, quâ in lucerna adhuc arsit inter duas ampullas, auream alteram, alteram argenteam, easq; purissimo quodam liqore plenas, referentibus sic a) *Hermol. Barbaro*, b) *Apiano*, c) *Scardeonio*, d) *Langio*, e) *Porta*, f) *Grutero*, g) *Salmutho*, h) *Lazio*, i) *Delrio*, k) *Aldrovando*, l) *Boxhornio*, m) *Balth. Bonifacio*, n) *Joh. à Pfleumern*, o) *Voëtio*, aliisq; plurimis. Majori urnæ inscripti hi versus perhibentur:

Plutoni. sacrum. munus. ne. attingite fures.

Ignotum. est. vobis. hoc. quod. in. urna. latet.

Namq; elementa. gravi. clausit. digesta. labore.

Vase. sub. hoc. modico. Maximus. Olybius.

Adsit. fecundo. custos. sibi. copia. cornu.

Ne. tanti. pretium. depereat. laticis.

Minori verò istuc verborum:

Abite. hinc. pessimi. fures.

Vos. quid. vultis. vestris. cum. oculis. emissit iis.

Abite. hinc. vestro. cum. Mercurio.

Petasato, caduceatoq;.

Donum. hoc. maximum. Maximus. Olybius.

Plutoni. sacrum. facit.

B

† Re-

p) l. 5. *Corollar. in Dioscor.* r) in *epist. ad Alphenum amicum.* s) de *reb. memor. deperd.* & *Salmuth. in notis p. 233.* t) l. 1. *antiq. Patav.* u) *Comment. de papyro memb. 6.* vv) de *Vet. Christ. Ritib. f. 189.* x) in *Mercur. Ital. p. 320.* a) l. c. b) *Inscript. antiq. l. 12. c. ult.* c) l. 1. *antiq. Patav.* d) *Epist. Medicinal. l. II. Ep. LII. p. 810. 811.* e) *Mag. Natur. l. XII. c. XIII. p. 485.* f) *Inscript. f. 927. n. 5.* g) ad *Panciroll. p. 233.* h) in *Commentar. Reip. Rom. l. 3. c. 18.* i) *Disquisit. Mag. tom. 1. c. 5. q. 1. sect. 1. c. 4.* k) *Ornithol. l. 1. p. 70.* l) *quest. Rom. quest. XI. p. 50. 51.* m) *Histor. Ludic. l. V. p. 131. 132.* n) *Mercur. Ital. p. 320.* o) *Disput. Select. part. I. diss. de Creat. p. 671.*

- §.7. † Refert p) *Joh. Bapt. Porta* in Insula Neside sepulcrum Anno 1550. inventum, & in eo phialam, ardentem adhuc lucernam continentem. Eamq; ante Redemptoris nostri adventum clausam fuisse subjicit. Sic Bononiæ in tumulo quodam in ædibus D. Laurentii propè templum D. Hiob ignem istiusmodi visum, scribit r) *Aldrovandus*. s) *Casalius Julius Favera* attestatus est, se Romæ in Cœmeterio Callixti lucernam reperiisse, sed illam lumine satis lento resplenduisse, moxq; extinctam, cum eruere eam è muro studuisset. Ita t) *Licetum Joan. Mancinus Politianus* edocuit se Romæ quoq; lucernam quandam conspexisse, erutam juxtà montem Penam (hodiè Italis Monte caballo,) quam & ipsam repertores confessi fuerint ardentem abs sese fuisse deprehensam. Patrum memoriâ lucernam in recluso monumento inventam memorat u) *Lud. Vives*, quæ, ut insculptæ numerorum notæ docebant, ante mille quingentos annos defossa flagraverit etiam tùm, cum in lucem fuisset protracta. Lucernam Coloniae ad Rhenum aperto vetustissimo sepulcro visam, sed vix
- §.8. iam illicò lumen amisisse vv) *Joh. à Pfleumern* prodit. † Non transiliunda heïc planè (quamvis non subterranea) lucerna Antiochena est, quæ imperante Justiniano supra portam quandam Edessæ ad Christi imaginem quingentorum annorum decursu arserat, cujus & oleum in ignem conjectum Cosrois Persarum Regis copias omnes consumpsit, scribente x) *Cedreno*. † Nec possum, quin heïc quoq; fictilis lucernæ à me nuper conspectæ mentionem faciam. Monstrabat eam ex gazophylacio suo *Vir pl. Reverend. & præclariss. Dn. M. Gothof. Christian. Bosius ad D. Nicol. Diac. Patronus & Favitor meus omnimodis venerandus*. Geminam ipsi quoad figuram in densa illa lucernarum farragine, quam Licetus habet, non licuit animadvertere. Rotunda est in medio, & tumido ventri similis, ex in duo q̄s colla angusta terminatur, quorum unum pedis, alterum orificii præstat officium.

Et

p) *Mag. Natur. l. c.* r) *l. c.* s) *de Vet. Christ. Ritib. p. 189.* t) *l. 1. c. 11. p. 25.* u) *Comment. in Aug. de C. D. l. 21. c. 6. V. & Lang. epist. Med. p. 810. & Majol. Colloq. 22.* vv) *Mercur. Ital. p. 319.* x) *ap. Francis. Cites. in libro, cui tit. Abstinens Consolentanea. V. Licet. l. 1. f. 14. & Kircher, Tom. III. Oedip. Ægyptiac. f. 549.*

Et hæc ipsa etiam non ita pridem Francofurti ad Mœnum inventa est ardens cum osibus non exiguae molis. Nimirum lucernæ hætenus productæ & aliæ tantum valere, ut omnes ferè, quos narrantes de iis audivimus, eò delati opinionis fuerint, omninò Veteres mirificum perpetui luminis machinamentum architectari potuisse. Nos quid de iis iudicemus, tùm edisseremus, ubi placita diversorum considerata atq; examinata fuerint.

CAP. III.

Eruditorum de Lucernis productis Opiniones.

1. Recensetur opinio Augustini, 2. Majoli, 3. Francisci Bonamici, cui & Voëtius assentitur, 4. Guthery, 5. Joh. Bapt. Portæ, 6. Aldrovandi, & Aresii, 7. Lazy, 8. Francisci Citesii & aliorum. 9. Hic de Incombustilibus quid interseritur, 10. Fortun. Liceti.

QVando reddenda ratio est, cur ignis in lucernis per tot annorum decurias centuriasq; inextinctus latuerit, humana ratio nutat, humanum laborat ingenium, ipsomet a) *Liceto* fatente. Hinc tot de lucernis opiniones invicem disidentes, quas nunc eo, quo pote, breviloquio ob Lectoris obtutum sistemus. b) Primipilo patrum meritò primam tribuimus sedem. Opinatur ille vi magicâ s. ope Cacodæmonis in tot secula conservari potuisse flammæ ejusmodi ardentes, quanquam & in aliam de quâ mox, inclinat opinionem. † *Augustino* rectè contrà ponimus c) *Majolum*, quippe qui admirabilem lucernarum durationem, non magicæ, sed divinæ adscribendam censet potestati. † *Francis.* d) *Bonamicus* non flammæ fuisse autumat, quod visum est in reclusionem sepulcrorum, sed pellucidum corpus quoddam in caligine corusci quid de se fundens. Idem & e) *Voëtius* conjicit, lucernas nimirum non verè accensas & flammantes, sed factas qf. flammantes, h. e. ex lapide lychnite aut simili efformatam fuisse figuram flammæ, adeoq; & extinctionem non veram fuisse, sed tantum cessationem sensibilis fulgurationis per admissum diem & lumen in sepulcri aut cryptæ tenebras.

B 2

†. f)

a) præfat. in Lib. II. f. 47 b) de C. D. l. 21. c. 6. c) Colloq. dier. Canicular. 22. d) ap. Licet. l. II. c. II. f. 50. e) diffus. select. part. 1. disp. de Creat. p. 670.

- §.4. † f) *Gutherius*, quantumvis certi quid affirmari posse non abnuat, arbitratur tamē, in lucernis istis liqvores aut pulveres quosdam fuisse, qui sub ingressum demum novi aëris in flammam surrexerint. † Audiamus secretioris Naturæ indagatorem illum
- §.5. g) *Portam*. Facit & hic ab aliis se segregem, quandoquidem ignem istum non nisi in fugam vacui per tantum temporis spatium à Natura custoditum statuit. † At verò quodnam h)
- §.6. *Aldrovandi* heic iudicium est, viri Naturalium rerum consultissimi, quiq; lucernarum talium non contemnendum possedit thesaurum. Hic, cum tam mirandam luminis durabilitatem sibi non ita faciē persuadere queat, alimenta ipsi per meatus subterraneos intrò lata æstimat. Et multa de hoc negotio in Commentar. suis de Fossilibus se differruisse i) profitetur, quæ nobis videre non integrum fuit. Cæterum pedaneum quoq; in suam sententiam senatorem habet, k) *Aresium* videlicet Episcopum Derthonensem. † l) *Wolfgang. Lazius* lucernas propositas auro in pinguedinis liqvores arte soluto diutissime ardentem ignē fovisse scribit, in sinu terræ sic ab aere per occultos canales ingrediente ventilatum. † Plausibilis præ cæteris videtur
- §.8. m) *Fr. Citesii*, multorumq; aliorum (& hæc est cui n) *Augustinus* quoq; favet) sententia. Quærunthi pro inconsumptibili igne, inconsumptibile itidem nutrimentum, dum ellychnia lucernarum ex o) amianto aut asbesto confecta, oleum Chemica arte ex
- §.9. iisdem lapidibus eductum fuisse asserunt. † Quod ut clarius pateat, de rebus incombustilibus, interspergendum est quippiam. Habet Natura ut admiranda alia in vasto suo gremio, ita lapides etiam mirabiles. Inter eos vel maxime lapides isti asbestus & amiantus sunt numerandi, quorum ille in Arcadiæ montibus, hic in Cipro nascitur, inde Cyprius dictus. Uterque & igni resistit (unde & nomina habent & ob lanuginem seu filamenta, quæ & ipsa incombustilia, netilis juxta ac textilis est. Idem

f) *de Jure Man. l. II c. 32.* g) *Mag. Natural. c. XII. c. XIII. p. 484.* h) *Ornithol. l. 1. f. 74.* i) *l. c.* k) *Emblem. l. 2. vid. Licet. l. V. f. 447.* l) *Comment. Reip. Rom. l. 3. c. 18.* m) *in lib. cui tit. Abstinentes Consolent. V. Licet. l. II. c. XXXVIII. f. 126.* n) *lib. 21. de C. D. c. 6.* o) *Plin. l. XIX. c. 1.*

deCarystio lapide scribit p) *Apollonius* & q) *Sirabo*. Conficiuntur inde Mappæ, mantilia & manutergia, quæ si in ignem conijciantur, non tantum manent illæsa, sed haud secus etiam emaculantur, ac si smegmate elueris. Neronem tale habuisse mantile ferunt. Et quamvis hodiè non inveniri r) *Pancirollus* pronunciet, talia tamen Parisiis f) *Lud. Vives*, t) *Agricola* Romæ & in Saxonia, Romæ item u) *Leo Allatius*, alii alibi conspexere. Plura de incombustilibus lecturientem consulere jubemus vv) *Langium*, x) *Rhodium*, y) *Raderum*, z) *Majolum*, a) *Lemnium*, b) *Anshelmum de Boot*, c) *Balthas. Bonifacium* & d) *Sal-muthum*. † Nobis nunc *Liceti* sententia venit exponenda. §. 10. Alios equidem adhuc aliter conjectare scimus, hæc tamen cum perpetui ignis constantissima sit defensatrix, omninò præ aliis aliis omnibus considerata est, præsertim cum plurimum etiam nobis facebat negotii. In nuce autem dabimus, quod operosis ille inclusit capitibus. Nimirum dum certò statuit e) Veteribus artem lucernas perpetuas formandi non fuisse incognitam, exemplis id non tantum lucernarum, quarum præcipuas cap. præced. produximus, ita stabilitum, sed fulcris rationum quoque non adeò labilibus. Et fulcimentum quidem ipsi firmisimum est, f) ignem naturâ suâ pabuli haudquaquam indigum esse, retineri autem ab oleo viscido (ellyphnia enim non vult) tanquam compede ac freno quodam, aliàs ob insitam sibi levitatem citissimè sursum, quò propensus sit, evolaturum ad æthera. Utque id magis vero confine ostendat, ejusdem naturæ g) ignem sub Concavo Lunæ esse subjicit, quippe qui absque omni cibo & alimento ibi conservetur. Hisce positis ignem non æternum, quidem, at h) diuturnissimum tamen parari posse putat, requirens ad eum amicabilem in flamma & humore i) æqualitatem,

B. 3

ne

p) *mirabil. histor. c. 36.* q) *l. 10. Geogr.* r) *memorab. deperd. p. 23.* s) *in comment. ad l. 21. c. 6. de C. D.* t) *de natura fossil. 5. p. 253.* u) *Joh. Rhod. c. 6. de acia. p. 80. seqq.* vv) *Epist. medicinal. l. II. ep. LII.* x) *de acia. p. 80.* y) *ad Curt. f. 314.* z) *parr. 1. Colloq. 20.* a) *de occult. nat. mirac. l. 2. c. 12.* b) *l. 2. histor. lap. & gemmar. c. 204.* c) *Hist. Ludic. lib. II. c. 51.* d) *ad Panciroll. p. 24.* e) *Licet. lib. I.* f) *lib. III. c. XVIII. f. 225.* g) *f. 226.* h) *c. XX. f. 234.* i) *c. XXI. & XXI.*

My. de. 1. 10. Geogr. r. mant. l. 10. de ellyphnia.

ne alterius super alterum fieri possit victoria, seorsim autem in humore k) viscidum lentorem, quo ceu glutine alligari queat flammula, minimam insuper exhalabilitatem & materiem defecatisissimam. Veniamus nunc ad examen.

C A P. I V.

Opinionum precedentium examinatio.

1. Fit initium ab opinione Citesii. 2. Oleum ex amianto & asbesto non educi posse testantur Kircherus, Licetus, Porta, Conringius. 3. Examinatur opinio Liceti, ubi de nutritione ignis. 4. Ignem sub concavo Lune recentiores negant. 5. Oleum incombustibile Chymia agnoscit, non Physica. 6. Refellitur opinio Lazij. 7. Aldrovandi. 8. Porta. 9. Guttherij. 10. Bonamici. 11. Majoli. 12. Augustini approbatur quodammodo. 13. Nos cum Kirchero sentimus, qui fraude Demonis, vel 14. causa naturali factum putat.

- §. 1. **D**um suâ præcedaneas opiniones verisimilitudine exutum i-
mus, inverso ordine, cum commodior nobis ea via videatur, procedimus. Auspicamur itaq; à vulgari illo placito, quod a) Citesium & Lud. Vivem b) cum Augustino amplexari diximus. Istud vel sola refutat experientia, quandoquidem in lucernis illis nunquam asbestinum vel amiantinum observatum fuit ellychnium. Et demus quidem ellychniis talibus lucernas instructas fuisse, infuisse tamen oleum ex eodem asbesto vel amianto extractum ne ipsa quidem Svada nobis persvaserit. Fatendum sanè illud est, ab amianto & asbesto expectari debere, si ulla res perpetui luminis præstare posset artificium. Habuit ipse c) Kircherus lychnum ex amianto confectum, quem jam à biennio sua in lucerna se ardentem videre, nec in minimo quidem desuisse, nec fortasse defiturum scripsit, ut vel hinc incombustilitatis luculentum habeatur indicium. † Verùm de oleo irresolubili difficultas est, imò hoc opus, hic labor est, ipsis Chemicis clamantibus. Placet d) Kircherum pro me loquentem introducere: Certe, inquit, cum summis Chymicæ artis magistris & insignibus distillatoribus de hoc negotio suscipiendo à me transactum fuit; nec defuerunt, qui in eo extrahendo, nullum non lapidem moverunt, at frustra. Oleum enim inde extractum vel

non

k) c. XXVIII. f. 249. 250. a) In Abstinente Consolentanea. b) Comm. in Aug. de C. D. l. 21. c. 6. c) Tom. III, Oedip. Egypt. Syntag. XX. d) l. c. f. 547.

errata à nobis.
n. Augustinus
subterranea
v. 1. p. 1. p. 1.
Augustinus
v. 1. p. 1. p. 1.

vel non concepit ignem utpote aqueae substantiae, quam oleagineae si-
 milius, vel adeo feculentum evasit, ut igni concipiendo ineptum prorsus
 existeret. e) *Licetus*, qui nihil intentatum reliquit, quod perpe-
 tuitati lucernarum adstruendae subservire potuit, haec idem cum
Kirchero sonat: *Lapis iste*, inquit, *ejus est cum reliquis lapidibus natu-
 ra, ut virtute Chymica ex eo non nisi difficillimè paucissimum olei extra-
 here possis, idemq; adeo crassae, solidae, densaeq; substantiae, ut vix fluat,
 plerumq; non ardeat, aut pessimè ardeat.* Eandem cantilenam f)
Porta etiam canit atq; g) *Conringius* seculi hujus gloria. Opinio-
 nem igitur *Citesii* tam diu valere jubemus, donec ex lapidibus istis
 oleum inconsumptibile quis extraxerit. † Commodum ad §. 3
Licetinae sententiae disquisitionem ferimur; Cujus fulcra si diru-
 amus, & ipsa ad ruinam vergere necessum habebit. Prolixius id
 praestitit h) *Aresius*, nos summa sequemur fastigia. Et basin quod
 attinet, eam omninò non censemus firmam esse. Equidem igni
 propriam non adscribimus nutritionem, nihil tamen obstabit,
 quò minus lato quodam modo seu per analogiam nutriri eum
 asseramus, cum haud potis sit se conservare ignis, nisi materiae in-
 nitatur consumptibili. Crescit utiq; & nascitur ignis pabulo sup-
 petente, marcescit item eodem subtracto qf. fame vel siti con-
 fectus, imò moritur. In adversum haec à multis multa non igno-
 ramus proferri; at ejus non sunt roboris, ut evellere nobis queat
 femel arreptam Helenam; ut taceam nec i) *Aristotelem* cum qui-
 busdam priscorum philosophis igni haud prorsus nutritionem
 denegare. † Non deest autem *Liceto* stabilimentum aliud. §. 4
 Scilicet, quia ignis sub Lunae sphaera sine nutrimento stabuletur,
 ex eo satis evinci posse judicat, nec ignem lucernarum suam naturam
 alimenti indigere. At illud petere principium est. Num enim i-
 gnis sub concavo Lunae tanquam loco suo naturali sit constitutus,
 vexatissima hodiè quaestio est. Affirmavit id à multis jam se-
 culis Peripateticorum schola, praeducem secuta k) *Aristotelem*.
 Hoc verò seculo planè labefactata ista sententia est, ut tantum
 non

e) lib. II. c. 39. f. 128. f) *Mag. Nat.* l. XII. c. XIII. p. 484. g) *de Cal.*
innat. c. IIX. p. 70. h) *capitib.* 7. v. *Licet.* f. 446. i) lib. II. *de Gen. &*
Corrupt. c. VIII. V. *Conimb.* ad h. l. p. 441. k) lib. 2. *de Cael.* c. 3. text. 18.

non à Lyceo exulare cogatur. Eam l) *Kircherus* oppugnat, oppugnant m) *Svarezius*, n) *Cardanus*, o) *Lidyatus*, p) *Schottus*, q) *Borrus*, *Cabeus*, *Scheinerus*, *Arriaga*, & nemo non fermè modernorum. Quid, quod nec Aristoteles ignem sub Lunæ Orbem, sed aerem potius defecatiorem posuit, notantibus r) *Schotto*, s) *Vossio* & t) *Conringio*? Nos cum hujus loci non sit, eam movere litem, sententiam hodiè vigentem & alibi satis defensatam

¶ 5. tanquam certam præsupponimus. † Quæ postea *Licetus* fingit de æqualitate humoris & flammulæ, apud nos haud inveniunt fidem. Et non nisi figmenta & conjecturas saltem leves esse, quæ subdit, ipsummet habes confitentem. Materiem enim humoris istius si flagites, *Leves*, u) inquit, aliqua conjectura sese nobis produnt ex rei naturâ ad ejusdem artis indaginem, & qualemcunq; notionem, Et planius alibi: *Materiam determinatè ac in individuò, & ad unguem, ut dici solet, non agnovimus, in qua hujusmodi attributa conditionesq; necessario esse debent ad perennem flammulæ durationem.* Posset sanè vel exinde nobis suspecta reddi *Liceti* opinio, sed eam planè refellit ratiocinium Physicorum indubitabile, & ipsâ experienciâ suffultum, quod omne ignis nutrimentum, quàm pingve & viscidum etiam sit, in vapores tandem resolvi, & ita perpetuò non posse consistere constanter adseverat. Verùm Chemicæ artis eum laborem esse *Licetus* urget. Nos minime diffitemur, Chemicam admiranda multa & vix credibilia præstare posse, quippe sublimiorem ejus Cathedram meritò heic agnoscimus. Novimus etiam x) *Tritenhemio* & *Libavio* artificia duo Chemica adscribi, quibus æternos ignes procurare potuerint. Interim tamen y) *Porta*, Chemicus aliàs non infelix vix imaginabile esse dicit, oleum reperiri posse, quod continuâ

fla-
l) *Itinerar. Exstat. dialog. 1. Itiner. in Lun. f. 97. & in Arte Magna Luc. & umb. l. 8. f. 555. m) tract. de Cælo. n) de subtil. o) in prælect. Acad. c. 4. p. 30. p) in Schol. ad Kirch. Itiner. Exstat. f. 98. q) citat sequentes Schottus l. c. r) l. c. s) l. II. de Idololat. c. LXXXIII. p. 725. t) in disput. de Calido in nat. hab. Lugdun. Batav. thes. VI. u) lib. III. c. XXVII. f. 244. vv) lib. IV. c. ult. x) *Libavii scholiastes* lib. de Naphtha c. 5. citante *Licet. f. 134. y) Mag. Natural. l. XII. c. XIII. p. 486.**

flagratione non absumatur. z) *Conringio* conatus istiusmodi non
 alii videntur, atq; si quis velit fluvium sine fonte aut aliunde af-
 fluente aqua conficere. Sed ponamus nos hodiè incombustile
 oleum machinari posse Chemiam, ejus tamen magisterio haud-
 quaquam veterum, de quibus heic sermo, lucernæ concinnatæ
 fuerunt, vel ipso *Liceto* non abnuente, cum vetusta adeò non sit, ut
 fomitem iis comparare potuerit. Chemia enim post *Constan-*
tini M. ætatem demum in Græcia & viciniori tractu exulta fuit,
 uti integro capite dilucidavit idem sæpè jam citatus a) Vir ad-
 mirabilis. † Eodem argumento ad *Lazium* confutandum uti §. 6.
 licet. Sed quæso, dum pinguedinem ex auro educi posse in-
 nuit, annon audacter contrà omnem experientiam inficiatur,
 aurum ignibus invictum esse? † Trutinemus nunc & reliquorum §. 7.
 opiniones. *Aldrovandina* non rejiceremus, si via ulla, quâ
 per occultos meatus & terræ rimas alimenta ad lucernas fuerint
 delata, unquam usquam apparuisset. At nihil tale à quoquam
 animadversum est, id quod & *Lazio* occultos canales pariter
 statuenti, oggerere possumus. Obstat insuper, quod intra te-
 stas, intrâ marmora lucernas inclusere Veteres. † c) *Porta* §. 8.
 quæ conjectat, non nisi ad lucernam *Nesideam* vitro inclusam
 referre potest. Cæteras enim, quæ in sepulcris urnisq; sunt,
 repertæ, non ita occlusas undiq; scimus, ut nullum ad earum ex-
 tinctionem vacuum metuendum fuerit. Quid de *Nesideâ* cen-
 sendum, patebit inferiùs. Heic illud non dicere nequimus, va-
 cuum id, quod *Porta* timet, aliis facilè modis evitaturam *Natu-*
ram fuisse, nempe vel flammam ipsam extinguendo, aut vas,
 quantumvis fractu difficile, disrumpendo. † *Porta* proinde §. 9.
 assensum nostrum non præbebimus, quemadmodum nec *Gu-*
therio. Non enim eâ fini lucernas posuere antiqui, ut à poste-
 ris eruerentur olim, & perpetuum ignem mentirentur. Ac fin-
 gas licet id propter fuisse positas, nesciebant tamen monu-
 menta aliquando ad apertum iri. Ejusmodi præterea mixtura,
 in tot lucernis nulla deprehensa est. † Quo ipso etiam §. 10.

C

Fran-

z) de *Cal. innat.* c. IIX p. 70. a) de *Hermet. Medicin.* c. XXVI.
 p. 370. b) *V. Licet*, l. II. c. XLIV. f. 134. c) l. c. p. 486.

Francisc. Bonamico & d) Voëtio occurrimus; quanquam Vöetius ipse sibi hanc suam non approbare satis potest conjecturam. Subdit enim: *Sed obstat, quod historiae referunt, alias lampades aperto sepulcro, & admissa a re fuisse extinctas, alias verò accensas.* Multò minùs ea nobis sic sese approbabit. † Nec e) *Majolus* in suas nos partes pertrahere potest. Deum fanè præpotenti virtute suâ longè admirabiliora posse efficere non negamus, imò religiosè credimus. Verùm enim verò quis credat lucernas illas, quas Veneri, Vestæ, Minervæ, Vulcano & Diti sacravit antiquitas, quas item in honorem damnatarum animarum collocavit, abs DEO supernaturali modo ardentes tamdiu servatas esse? De Antiochena idèquidem videtur asserendum, §. 12 sed de eâ judicia aliorum reservamus Cap. ultimo. † Reliquum est, ut alteram *Augustini*, quam primò producebamus, ventilemus conjectationem. Eam nostram aliquatenus cum f) *Kirchero* facere non veremur, cum opidò vero sit assimilis. Sanè qui legerit, quanta olim prodigia in veterum Consultatione Dæmonum ope evenerint, næ is abnuere non habebit, potestatem iis fuisse putatitium ignem oculis repræsentandi. Dæmonum utiq; proprium est homines primo prodigiosarum rerum objecto velut illicio quodam trahere, tractisq; viam ad superstitionem & falsum Deorum cultum aperire. Potuit itaq; (cum *Kirchero* loquimur) ad primum cryptæ cujuscpiam introitum, Dæmon hominibus (sive curiosis sive avaris) flammam, vel aliam quam piâ fulgidæ rei speciem oculis hominū oggerere, quam dum viribus naturæ altius quiddam existimant, soli illius Deæstri, cui lucerna consecrata erat, potestati adscriberent. Atque tales quaspiam, (multas enim fabulositatis suspectas esse mox elucidabitur) putamus fuisse, quas in sepulcris gentilium positas, & deinde casu repertas perpetuo igne flagrantes tradunt Autores, non quod perpetuo igne arserint per Dæmonem, (in hoc enim deflectimus ab *Augustino*) sed quia Dæmon, uti dictum, repertoribus talem obtulit speciem. g) *Licetus* ipse suppeditat.

d) *part. I. disput. select. Theol. disp. de Creat. p. 670.* e) *Majol. l. c.* f) *Tom. III, Syntag. XX. f. 546.* g) *lib. 1. c. XXVII, f. 36.*

rat, quod nos firmare potest in hac opinione, dum ex *Ludovic.*
 h) *Areosto* Poëta Italico in tumulo Merlini Magi repertam refert
 lucernam inextingvibilem. Magos enim quis nescit organa
 Cacodæmonis esse, quorum ministerio deludere & seducere so-
 let homines? † Sed eccam & causam physicam! Aërem il-
 lum longitudine temporum inclusum exhalationibus infectum
 fuisse nullum est dubium. Jam nihil obstaculo est, quò mi-
 nus ad primum aëris novi ingressum per antiperistasin accendi
 ille potuerit. Idq; quotidianam docere experientiam i) *Kir-*
cherus asseverat, quippe cum metallorum fossoribus se locutum,
 qui vix unquam se novas cavernas aperire dictitarint, quin ex
 iis flammæ hætales erumperent. Nec nihil imaginationi tri-
 buendum, quæ quàm decipiat quandoq; homines, non nemini
 cognitissimum est. Optarem hic Mundum *Kircheri* Subterra-
 neum daretur pervolvere. Ex professo enim & libro integro
 se ibi hanc materiam discussisse profitetur in *Oedipo* k) suo. At
 cum id nobis non contigerit felicitatis, Catone hoc, quod a-
 junt, oportet contenti sumus.

CAP. V.

Examinatio ipsarum Lucernarum productarum.

1. Inde sunt suspectæ, quod Veteres nihil de iis, 2. quod non sunt
 uniusmodi, 3. Examinatur lucerna Pallantis, 4. Tulliolæ, 5. Oly-
 biana, 6. Nesidea, 7. Antiochena. 8. aliæ, Conclusio.

Lucernas antiquorum inextinctum non servasse ignem, p. 1.
 ostensum est hætenus. Examinemus nunc ipsas Lucernas
 superius adductas. Et sanè cum l) *Conringio* & m) *Aresio*
 non immeritò veremur, ne fabulosæ sint de quibusdam narrati-
 ones. Quæ enim rem miram adeò & memorabilem silentio
 involvissent Veteres, qui certè nihil non memoriæ mandârunt,
 quicquid pristina admirandi habuere secula. Ac debebat vel
Plutarchi ævo ars ista non incognita esse, quippe quo Roma-
 num imperium florebat adhuc, nec Europam Barbari inunda-
 verant. Sed lampades ille miratur per annum saltem absq; olei

C 2

adjectu

h) *Cantic.* 3. i) *Tom.* III. *Oedip.* *Ægypt.* *Syntag.* XX. k) *l. c.*
 l) *de Cal. Innat.* p. 61. m) *ap. Licet.* lib. V. f. 523.

adfectu durantes. Stagīrita heic tacet etiam, cuius tamen tempore verniliter in Grācia virebant omnes artes. Nec *Plinius* de iis quicquam habet, curiosissimus rerum admirandarum Scriptor. Primi, quod sciamus, n) *Hermolaus Barbarus* & o) *Apianus* lucernas istiusmodi perpetuas celebrarunt. Horum fide alii postmodum complures commemorare idem non sunt veriti. Quid? quod nec primis iisdem scriptoribus lucernæ visæ sunt, sed proditæ testibus, qui eruerunt urnas. Sic nec cæteri Autores oculati fuere testes. Sapere autem recte is putandus est, qui narratiunculis illis haud temerè fidem largitur, cum nemo rem sibi conspectam recenseat. Accedit, quod frequens admodum est in Italia & alibi dolosè effossa pro antiquissimis §.2. monumentis venditare. † Deinde verò & magna diversitas vel falsitatis vel fraudis alicujus lucernas istas arguit. Aliis flammæ corusca adhuc inesse visa, quæ subito in aëre aperto extincta; alias invenere flammulam ad aliquot horarum spatium conservantes, & suapte postea sponte morientes, alias deniq; adeo pertinaciter antiquum sibi ignem retinuisse narrant, ut ceu invincibiles flatuum aquarumq; violentiam despuerent, nec nisi fractæ demum aut effuso interno liqore flammam excuterent. §.3. Sed videamus nunc de singulis. † Et de Pallante quidem quod traditur, nihil probabilis habet purpurissi. Qvis enim versus istos non agnoscat non temporum illorum antiquorum esse, qui vel parum latinæ lingvæ usu est informatus? Et quis nescit à Romæ initio usq; ad tempus Ciceronis adeo mutatum Latinum idioma, ut idem haud videretur. Adolescenti, qui prisco more loqui amabat, *Phavorinus* p) Philosophus dixit: *Tu perinde qf. cum matre Evandri nunc loquaris, sermone abhinc multis annis jam desito uteris, quod scire atq; intelligere neminem vis, quæ dicis.* Epitymbion proinde istud antiquissimo tempore, quo Roma nondum erat condita, conscriptum esse, non induci poterimus, ut credamus. Videmus utiq; Germanicam lingvam nostram seculorum non ita multorum decursu ex hispido qf. & nobis vix intelligibili cultu ad eam, quâ nunc superbit, nitiditatem devenisse.

n) *Corollar. lib. 5.* o) *Inscript. l. 12. c. ult.* p) *ap. Gell. l. 1. c. 10.*

nisse. Idem factum cum Latina, præsertim intra tam vastum temporis interstitium, tum eo magis credendum venit, tum reliquæ obsoletarum vocum satis persuadent. Nobis certè nihil antiqui sapere videtur inscriptio ista sepulcralis. Deceterò q) *Maronem* quoque habemus contra canentem. Ita enim de Ænea loquitur, Pallantium funus parante:

--- *Arsurasq; comas obnubit amictu.*

Cum ergo, ut Poeta testis est, concrematum fuerit corpus Pallantis, quæquæso integrum potuit reperiri? Philosophia insuper & artes quæque ingeniosiores eo tempore profundâ quæ nocte adhuc contumulatæ erant. Affirmandum id maxime de Chemia venit, quam post Constantinum M. in Europâ demum viguisse ex r) *Conringio* supra diximus. Sed & *Volaterranus*, qui corpus Pallantis inventum narrat, de lucerna planè mussitat, eam non transiturus procul dubio, si veritas fivisset. † Ad Tulliollæ Lu- §. 4. cernam properamus, quæ & ipsa suspicionis morbo laborat. Dum enim repertum scribitur ejus corpus admirando cuidam liquorì innatans, apertè reclamatur consuetudini mortuos comburendi, quæ tumerat agitâtissima. Et cur verò lucernam hanc f) *Volaterranus*, t) *Rhodiginus* & u) *Alex. ab Alexandro*, qui & circa id temporis floruerunt, & mentionem prætereâ sepulcri inventi faciunt, planè prætereunt? *Volaterranum* sanè & *Alexandrum*, qui ipsimet tum Romæ degerunt, rem tam memorabilem supinè adeò prætervolasse haud credibile est. Ne dicam nec circa tempus conveniri ab Autoribus. x) *Rhodiginus* detestum scribit sedente Sixto IV. y) *Leander* Alexandro VI. alii Paulo III. Verba z) *Joh. à Pfleumern* non possum non adjicere: Cujus esset, inquit, certò sciri non potuit. Conjectantium plurimi Tulliollæ Ciceronis filia putarunt. † Verùm quid de Olybiana §. 5. dicendum? Facimus hæc cum a) *Balthas. Bonifacio*, impostoris cujusdam Alchymistæ hunc fucum esse putante, qui *Hermolao*

C 3

&

- q) *Æn. IX. v. 77.* r) *de Hermet. Medicin. c. XXVI. p. 370. seqq.*
f) *l. XXXIII. cap. de Cæl. & terr. progen. f. CCCLII.* t) *l. 3. c. 24.*
n) *l. 3. c. 2.* x) *l. c.* y) *V. Licet. f. 542, lib. V.* z) *Mercur. Ital. p. 320.* a) *Hist. Ludic. l. V. p. 132.*

& *Apiano* nebulam obtruserit. Epigramma certè antiquitatem non redolet, ut vel pignus dare non detrectemus, id antiquum non esse. Retinet enim ne syllabarum quidem leges inviolatas, quod de prisco aliquo Pöetarum vel cogitare nefas foret. Appellamus hæc ad aures Pöeticas, quæ certè, nisi nos omnia fallunt, à judicio nostro non ablucent. Sed interior quoque inscriptio nobis id insinuat, quam sciolus quidam Plautinæ locutionis affectator cōsfarcinasse videtur. Autores equidem, fat multi de Lucernâ Olybii attestantur, sed, ut ab initio innuimus, ex uno omnes decerpere, qui tamen nec ipse eam oculis usurpavit. b) *Maturantius* lucernam illam cum ampullis & urnis penes se adhucdum esse, sed c) *Porta* Neapolitanus eam per impudentum manus rusticæ profundentium ruptam fuisse, atq; adeò flammam illicò extinctam memorat. En harmoniam! † Nesidea ista lucerna nobis non sola persvadebit, suspectis prioribus redditis. Et vel ideò, quia à *Porta* ipso minimè

§. 7. conspecta fuit. † Antiochena scopulum aliquem videtur interjicere, sed facilè ille sine naufragio præternavigari poterit. *Cedrenum* utpote fabulosum scriptorem haud fidem mereri putat d) *Conringius*, cum nec quicquam eorum, qui Justiniano vivo res ejus memoriæ prodiderunt, ejusmodi quid referat. Esto verò verissima sit ista commemoratio, non naturale istud lumen fuisse, sed præternaturale cum *Kirchero* statuimus. Qui enim stellas perpetuo lumine animat, eidem minime quoq; difficile est, materialem lucernarum ignem Omnipotenti deo trā conservare. Et omninò divinum quid & suprā naturæ ordinem oportet adfuerit, si integer exercitus pauxillo adeò igne deleri potuit.

§. 8. † Cæteras, si quæ ardentes fuerunt repertæ, ut credere tandem non recusamus, aut Dæmonum præstigiis, ut antihac dictum, sic oculis hominum oblatas, aut naturali antiperistaseos ministerio accensas fuisse arbitramur. Verùm ex nocte illuni, ex cryptis subterraneis placet tandem revocare gradum, superasq; evadere ad auras. Quod si lucernam, quod dicitur, non olere videbitur hæc elucubratio de lucernis antiquorum, annicabilem nobis

b) ap. *Scardeon. l. 1, antiq. Patav.* c) *Mag. Natural. l. c.* d) *de Cal. Innato p. 63.*

bis pollicemur veniam, utpote in vernili adhuc ætate constituti.
Decætero cum & lemniscatas lucernas habuerint Veteres, & has
Lucernas nostras infernè his coronamus

LEMNISCIS.

- I. O quam iniquè agitis, qui sectam, quam Quæfers vocant, tan- vid. Dig. 28.
C. 2. v.
quam novam damnatis, cum eorum ἐξουσιασμοὶ æquè ac
Pythie oracula ter mille annorum gloriam sibi vendicent.
Verba sunt ironica Edmundi Dickinsoni in Delph.
Phœnizizant, c. IX, p. 91. Intellige ea de trepidatione,
quâ concuti solent fanatici, & Anglici, unde & no-
men trahunt. Conf. Johannis Lasser & aliorum tracta-
tus de Quæfers modò editos.
- II. D. Georgii Cappadocis Draconem confodentis imaginem
fingi pingiq; passim videmus. Legitur ea historia in
Aurea Legenda Jacobi de Voragine, Sed fabulosa est
ipso Baronio fatente Not. in Martyrol. Roman. April. 23.
- III. Fuit Georgius Cappadox olim Angliæ Deus tutelaris. Ejus
hodieq; non incelebrum illi memoriam esse, vel ex eo
patet, quod Equites ante Michaelidis & die Georgii cre-
antur, (ut nuper in Angliâ ante Regi Coronationem fa-
ctum) & D. Georgii Equites appellantur.
-

A Nnuat ipse Deus coëptis atq; adjuvet ausus
Hosce tuos, tantum nunc precor ipse Tibi.

*Daniel Heinrichi D. P. P. & Alumn.
Electoral, Ephorus.*

Ad

Ad
Ornatissimum & Doctissimum
DN. RESPONDENTEM.

Flamma antiquorum flagrans quæ visa sepulchris,
Dum discurrendi materies legitur,
Optime RESPONDENS, Sophies non parva ni-
tela,

Lux de luce recens surgit amœna Tibi.

De hoc specimine ὀλοφύχως gratulatus perscribebat

Hieronymus Kromayer, SS. Tb. D. Prof. P.

*Canon. Ciz. Ducalis Colleg. Collegiatus, alumn.
Elect. Ephorus.*

Dulce est vetustæ eruderare cum * FABRO
Et LIPSIO derosa Romæ marmora;
At dulcius subire subterraneos
Romæ meatus SEVERANI & BOSII
Ductu, atq; cryptas Christianorum intimas.
† Miranda namq; Roma plura exhibet,
Sub stante Româ quæ sepulta squalluit,
Nunc squallidâ tandem eruta ex caligine.
Id experiris, corculum, STOHRI, meum,
Quando LUCERNA s eruis reconditas,
Lucro; sistis mecum easdem publicæ.
Inquirere insta. LUCIDO ferto caput
Apollo cinget, atq; sic LUCEM dabit.

* *Fabricium innuo, qui Romam scripsit.*

† *V. præfat. Pauli Aringhi in Rom. subterr. an.*

suo STOHRIO proper.

PRÆSES.

